dere, nec eos moveri pati. Quia non secùs, si argumentis ex scrupulo deductis auditum scrupulosus præbeat, sed satisfacere nitatur, nec contra agat, in multo plures scrupulos, majoremque mentis perturbationem incidet, nec umquam optata animi tranquillitate fructur. II. est ex *D. Ant. & aliis ibid.* Sicut cum virga quædam obtorta est, solet in contrariam partem inflecti, quò recta permaneat: non aliter scrupulosum in alteram partem agendo contra scrupulos, inclinari opus est, ut medium quoddam tenere valeat. III. est ex *Metina ibid.* sicut ad sinistræ consuetudinis vitium bestiæ tollendum, opportunum remedium est, id in ea nullatenus permittere. Sic ad sinistro scrupulosi vitio medendum, mirum in modum confert, scrupulis non acquiescere, sed contra agere. Quia tamen, quod maximè scrupulosos torquere solet, est argumentum hoc, si nunc morti proximus esses, non anderes cum hoc scrupulo è vita discedere, oportet huic satisfacere. Duplex est solutio. Priorem tradunt *Syl. & Cordub. ibid.* quæ est hæc. Multa oportet in eo articulo facere, quæ extra illum facienda minimè sunt. Quippe, aut mente hominem privarent, aut in disperationem traherent. Posteriorem affert *Cordubа ibid.* & est hæc. In illo etiam articulo consultius faceret scrupulosus temnendo eos scrupulos. Solet etiam aliud scrupulosum vexare, nimirum, ignoro me scrupulosum esse, ac quæ me vexant non excedere scrupulorum limites. Sed præsentaneum est remedium, stare confessoris, aut alterius viri docti judicio, cujus id judicare est: cognoscetque an scrupulosus sit ex regula in *cap. praced. n.* 2. tradita,

82 Sacerdos ergo scrupulosi confessiones excipiens, hæc potissimùm remedia adhibiturus ei est, quo ejus conscientiam pacare valeat. Primum est, ei suadere, ut nil mortale esse putet, nisi tale esse norit certò, & absque formidine ulla. Hoc tradunt *Azor. tom.* 1. *institutionum moral. l.* 2. *c.* 20. *q. ult. Vasquez* 1. 2. *q.* 19. *art.* 6. *disput.* 67. *c.* 2. *ad fin.* Qui optimè addit posse interdum quempiam adeò scrupulis vexari, ut ipsi suadere expediat, ne aliquid esse mortale existimet, nisi quod tale esse, possit jurejurando affirmare. Et idem dic de consensu ab ipso præstito alicui mortali, est enim monendus ne se consensisse putet, nisi ita certus sit, ut id jurare valeat.

83 II. Est, ut confessarius non admittat frequenter, & in plurimum scrupulosi dubia, nec se adeuntem interrogandi dubia gratia excipiat, & si opus fuerit, illum verbis ad id appositis, & accommodatis exterreat. Sic tradit *Azor. n. prac. relatus*. Et hujus ratio est, quoniam (ut egregiè tradit *Vasquez n. prac. allegat.*) si semper scrupulosus confessarium, aliumve doctum circa scrupulos consulat, scrupulorum fontem numquam exhauriet. Potest etiam scrupulosus deterreri, ei explicando, posse interdum esse præceptum agendi contra scrupulos nimirum, quando quis grave ex scrupulis, & anxietatibus detrimentum pateretur. Quod optimè docet *Valent.* 1. 2. *disp.* 2. *q.* 14. *puncto* 4. *q. ult.*

84 III. Remedium est, ut confessarius nullatenus scrupuloso permittat scrupulos confiteri, sed ea sola, quæ apertè norit esse peccata: atque ejus dubia in meliorem partem interpretetur. Sic *Azor. ibid.*

85 Ultimum remedium est, ne confessarius ullis scrupulosi precibus, quamtumvis importunis acquiescat, ut eum admittat ad ea confitenda, de quibus ipsi scrupuloso dubium supervenit, an ea confessus fuerit, quando mediocri diligentia eum fassum esse constat. Quia credulitas alicujus rei, & sic confessionis præmissæ, est in scrupulosis quasi certitudo in homine pacatæ conscientiæ. Item quia confessio non est, ut laquei injiciatur, sed ut bona fide, & mediocri diligentia præmissa aperiantur crimina, & semel aperta sepeliantur. Ergo qui semel hanc diligentiam adhibuit, potest probabiliter credere, se huic obligationi satisfecisse, dum contrarium non certò sibi constiterit. Sic tradunt *Cajet. & Metina num.* 81. *allegati. Idem Metina* 1. 2. *q.* 19. *ar.* 6. *in fin. Navar. c. Si autem, num.* 77. *de pœnit. d.* 7. *Enriquez l.* 5. *de penit. c.* 3. *num.* 4. Immò *Emm. Sà in Sum. verb. Dubium num.* 5. benè ait, scrupulis nimiis vexatum non debere fateri, nisi quę potest jurare esse mortalia, & se numquam ea fassum fuisse. Quod est conforme doctrinæ *numer.* 82. traditæ, & maximè necessarium ad obviandum scrupulis, pacandamque conscientiam.

86 Sed (ut optimè advertit *Vasquez* 1. 2. *q.* 19. *artic.* 6. *disp.* 67. *in fin.*) tradita deserviunt scrupulosis, quibus suæ conscientię cura est. Quippe sunt aliqui nimiis scrupulis vexati, ac de peccatis in posterum vitandis minimè curant, sed eis effrenatè vacant, quibus difficillimo negotio remedium adhiberi potest. Quare his ait, remedium præsentaneum esse, si frequenti confessione sua peccata expient, ut vel sic ad faniorem mentem reducti, uti prędictis remediis tutò possint. Verùm quamvis hoc minimè prestent, sed in futuris peccatis cavendis minùs cauti sint, possunt in ea materia, in qua eos scrupulis vexari constat, dubia eorum in meliorem declarari. Hęc *Vasquez ibid.* Cui addo, rarissimè hos circa prędsentia crimina, in quę præcipites feruntur, scrupulis vexari: cum illis apertè confentiant. Sed aut circa præteritorum peccatorum confessionem torquentur, an ea confessi fuerint. Et circa hoc, quando confessor noverit, eos mediocri diligentia adhibita fassos integrè fuisse, potest illis suadere, ne præteritum peccatum confiteantur, nisi certi omnino sint illud in confessione detectum non esse. Siquidem generaliter hanc regulam non limitans ad scrupulosos tradit *Emmanuel Sà in Summa, verbo Confessio, num.* 42. Nec hoc contradicit dictis *num.* 71. ubi probavimus in dubio, an aliquod mortale sit in confessione detectum, esse necessariò fatendum. Id enim est verum, quando dubium est rationi consonum, quale non est, sed potiùs judicatur scrupulus, ac dæmonis vexatio ad turbandas conscientias, & tædium confessionis generandum, quando ex modo confessionis factæ, & diligentia ad ejus integritatem apposita, judicat prudens confessarius eam omnino integram fuisse. Quod hi sibi persuadere jure optimo valeant, id peccatum in generali peccatorum numero, quem fassi sunt, inclusum esse, ut si sit fornicatio, in fornicationum numero, &c. quamvis dum peccata fatenda numeravit, non meminerit illius. Neque enim est possibile in confessionibus, quæ diu protrahuntur, memoriam omnium in singulari peccatorum habere: & ideò pœnitens attenta sua ejus peccati patrandi consuetudine, numerum explicat, qui sibi verisimilior videtur. Aut hi scrupulosi deperditæ vitæ vexantur scrupulis circa res fidei, & blasphemiæ, quæ peccata maximè abhorrent: aut circa vota à se emissa, credentes passim, & leviter se votis adstringere, aut circa alia similia. Circa quæ potest confessarius uti erga illos remediis dictis à *num.* 82. ac illis persuadere, ut de his minimè curent, sed contra agant: ac debet confessarius illorum dubia hæc interpretari in mitiorem partem. Quia in his similiter se habent, ac scrupulosi benè morigerati; nec in his præcipites ad peccata feruntur.

CAPUT XI.

Qualiter peccet, aut mereatur, qui cum conscientia erronea dictanti aliquid esse licitum, aut illicitum, id operatur?

SUMMARIUM.

Quid, & quotuplex sit conscientia erronea? num. 1.
Operari contra conscientiam erroneam dictantem aliquid esse malum, est culpa, num. 2.
Quid, si actio illa contra conscientiam non sit omnino libera num. 3.
Unde oriatur hac non operandi contra conscientiam erroneam obligatio, & an hujusmodi conscientia obliget? num. 4.
Peccatum contra hanc conscientiam ad quam speciem reducatur: & an sit speciale necessariò fatendum: & duplex malitia operari contra conscientiam non errantem? num. 5.
An quando conscientia errans dictat aliquid esse peccatum, nec explicat an veniale, an mortale, sit mortale id agere? n. 6.
An ut peccetur agendo contra conscientiam erroneam, oporteat ejus judicium actu manere, & quando sic manere dicatur? numer. 7.
An deposita conscientia erronea, liceat contra eam operari? nn. 8.
Qualiter liceat conscientiam errantem deponere? Refertur quadam sententia, num. 9.
Explicatur sententia Auctoris, n. 10.
Quando temerè deponitur, aut universalis, seu speculativa non applicatur ad particularem, seu practicam, qualis culpa sit contra illam agere? n. 11.
Quando conscientia erronea dictat id, quod est verè peccatum, sub præcepto esse, ut mentiri, si ea sit culpabilis, an sit peccatum eam sequi mentiendo, & similiter contra illam agere, non mentiendo? n. 12.
Quid; si ea conscientia sit inculpabilis, aut si culpabilis adest dolor præteritæ culpæ, an sit peccatum agere utrumvis, & sic detur perplexitas? Refertur duplex sententia. num. 13.
Exponitur sententia Auctoris, n. 14.
An quando conscientia culpabiliter errans dictat aliquid esse sub præcepto, quod revera erat peccatum, sit gravior culpa contra eam agere, an illam sequi? num. 15.
An sit magis obligatorium sequi conscientiam errantem, quàm præcepto prælati obsequi? num. 16.
An agere id, quod conscientia invisibiliter errans dictat esse bonum, cum tamen in se sit peccatum, sit actus virtutis: & si dictet esse indifferens, sit actus indifferens? num. 17.

1 BReviter, quod ad solos mores attinet declarabo, quæ latiùs videri poterunt in DD. allegandis. Atq; præmittendum est, erroneam, sive errantem conscientiam esse, quæ dictat esse bonum, quod alioquin est malum: aut è contra, quæ dictat esse malum, id quod in se bonum est. Rursus cum in conscientia erronea sit ignorantia pravæ dispositionis, sicut ignorantia quædam est invincibilis, seu inculpabilis: altera autem vincibilis, seu culpabilis: sic de conscientia erronea dicendum est. Dicetur ergo invincibilis, quando ita errat, ut virtute modi, quo errori adhæret, non debeat illum deponere, sed potius prudenter existimare se non errare. Vincibilis autem, quæ imprudenter judicat, ita ut si debita adhiberetur diligentia, minimè erraret.

2 I. Conclusio sit. Operari contra conscientiam erroneam, sive culpabilem, sive inculpabilem, dictantem aliquid esse malum, est peccatum, ac intrinsecè malum. Conclusio est de fide. Ut cum *Adrian. quod l.* 4. *ar.* 2. & *Cordubа in suo q. l.* 2. *q.* 4. probat *Vasquez* 1. 2. *q.* 19. *ar.* 6. *disp.* 59. *c.* 2. *num.* 6. Ubi latissimè ex Scripturæ, & Sanctorum, ac variorum Pontificum

ticum decretis eam probat. Quamvis *Sayr. in clavi reg. l.* 1. *c.* 4. *num.* 3. solùm vocet opinionem veram. Et quamvis *Salas* 1. 2. *q.* 42. *tract.* 8. *disp. un. sect.* 3. *num.* 16. *in fine*, dicat alios sentire contrarium non esse hæreticum, sed temerarium, & periculosum, quos ipse sequi videtur. Probatur una, vel altera ratione conclusio. Quia cum conscientia sit proxima bonitatis, & malitiæ humanorum actuum regula, (ut probavi *c.* 9. *n.* 1.) agens contra conscientiam, sive verè, sive falsè dictantem aliquid esse peccatum, delinquit contra proximam humanæ actionis regulam. Quamvis enim per se ratio recta, & quæ est divinæ legis participatio, sit nostrarum actionum regula: at per accidens est regula conscientia errans, non ut errans, sed quatenus recta ab operante existimatur. Et confirmatur, quia etsi conscientia erret dictans id esse malum, voluntas illud amplectens vult, quantum in se est, malum, ac proinde legem naturalem, dictantem omne malum esse vitandum, transgreditur. Sicut qui privatum credens esse regem contemnit, non privatum, sed regem contemnere censetur.

3 Intellige tamen quando actio, vel omissio est libera. Si quis enim carcere detentus, in quo non est sacrum, putaret se peccare non audiendo illud, minimè peccaret. Et similiter qui manu violenter ab aliis mota hominem percuteret, non peccaret, etsi errarit existimando se peccare. Quia cum ad peccandum desideretur libertas, actio illa carens nequit peccato obnoxia esse.

4 Hinc 1. deducitur, obligationem non operandi contra conscientiam errantem, non oriri per se ex ipsa conscientia erronea, sed ex principio naturali dictante malum esse vitandum, atque ex ejus virtutis præcepto, contra quam id malum esse hæc conscientia dictat. Ut si dictet id esse furtum, erit contra justitiam; si fornicationem, erit contra castitatem. Quippè virtutum præcepta obligant ad vitanda non sola ipsis adversa, sed etiam, quæ adversa esse conscientia errans dictat. At conscientia errans tantùm se habet instar cujusdam conditionis, qua existente tenetur homo vitare, aut facere id, ad quod ea seclusa non tenebatur. Et hoc est, quod *Durandus* 2. *d.* 39. *qu.* 4. *n.* 7. & *alii* dicunt conscientiam errantem non propriè obligare, sed ligare. Quippe ipsa non est, quæ præceptum inducit, sed ipsa existente quasi ligati sumus ad ejus dictamen sequendum. Sic optimè ait *Valentia* 1. 2. *disp.* 2. *q.* 14. *punc.* 4. *q.* 1. Quamvis aliter quando conscientia errans ligare, & quando obligare dicatur, explicent *Azor. t.* 1. *inst. mor. l.* 2. *c.* 8. *q.* 8. *Vasquez* 1. 2. *q.* 19. *art.* 6. *disp.* 60. *toto c.* 2. *Salas d. sect.* 3. *num.* 31. *Sayr. in clavi regia l.* 1. *cap.* 4. *a num.* 7. Qua in re non immoror, quòd ad solum metaphysicum loquendi modum pertineat.

5 Deducitur 2. crimen adversus conscientiæ errantis dictamen, ad eam malitiæ speciem, ac culpæ quantitatem pertinere, quam ipsa conscientia errans dictat. Ut si dictat esset veniale, erit veniale, si mortale, mortale, si adulterium, adulterium. Quia cum tota hujus malitiæ ratio in eo consistat, ut contra conscientiæ errantis dictamen sit opus, talis, & tanta erit malitia, qualem, & quantam conscientia dictarit. Et ita docent *D. Th.* 1. 2. *qu.* 19. *ar.* 5. *ad* 3. & *Metina ea qu.* 19. *ar.* 6. *dub.* 4. Ubi & *Vasquez disp.* 59. *c.* 3. *nu.* 11. *Cajet. Sum. verb. Conscientia, Navar. Sum. Lat. pralud.* 9. *n.* 9. *Cordubа in suo question. l.* 3. *q.* 4. *post solut. ad* 2. *contra* 1. *propos. in dub.* 1. & 2. *Valent.* 1. 2. *disp.* 2. *qu.* 14. *punct.* 4. *qu.* 2. *Azor. to.* 1. *instit. moral. l.* 2. *c.* 8. *qu.* 4. *Salas* 1. 2. *qu.* 21. *tract.* 8. *disp. un. sect.* 3. *num.* 17. *in fine*, & *num.* 32. *Sayr. in clavi regia, l.* 1. *cap.* 4. *num.* 15. & 19. & *omnes*. Addunt autem *Navar. ibi*, & *Sayr. num.* 15. Doctores prædictos quatenus ajunt peccari tantùm venialiter, si conscientia errans dictet esse solùm veniale, intelligendos esse, nisi id revera esset aliunde mortale. Cum enim conscientia errans non minuat peccati gravitatem, peccabitur utique. *Salas ea sect.* 3. *num.* 33. *quæst.* 5. *in fine*, hoc improbat, dicens quamvis ex se sit id peccatum mortale, si putetur ab operanti veniale, erit tantùm veniale. Verùm omnes benè dicunt, diversimodè intellecti, illi quidem loquendo de ignorantia culpabili, cum hæc etiam minimè excuset, non efficiet ut id, quod ex se erat mortale, fiat ratione hujus ignorantiæ veniale: hic autem quando ignorantia esset inculpabilis; excusabitur etiam ab ea culpa mortali, quam peccatum in se habebat, & erit sola venialis qualem conscientia errans putabat. Quare omnes illæ circumstantiæ fatendæ sunt, quas conscientia errans existimarit adesse. Quia tota ea malitia in eo opere invenitur. Quòd si conscientia dictet esse peccatum in genere, non descendendo ad speciem aliquam, ad nullam specialem peccati speciem pertinebit, sed ad generalem contra præceptum sequendi boni, & mali vitandi. Sicut si quis in genere peccare proponat. Sic *Metina, Azor. q.* 6. *Sayr. n.* 20. *Valent. proximè alleg.* Et in re convenit *Salas sect.* 3. *nu.* 32. quamvis diverso modo loquatur. Quare merito *Valentia, Sayr. num.* 23. *Salas ibi num.* 88. & 35. *q.* 7. carpunt *Adrian.* 4. *q.* 4. *de confess.* dicentem agere contra conscientiam errantem, esse speciale peccatum necessario fatendum. Sed dicendum est cum his Auctoribus, non esse speciale peccatum, & ideò sat esse fateri præcepti violationem, quam conscientia errans dictabat, non declarando fuisse contra conscientiam errantem. Nec audiendus etiam *Angelus* est, qui *c.* 7. *moral. circa* 2. *p. textus, c.* 3. dicit, duplicem esse malitiam, quoties conscientia non errat, alteram contra conscientiam, alteram verò contra præceptum, quod verè violatur. At dicendum est unicam esse malitiam contra id præceptum, cujus juxta veram, vel errantem conscientiam est trangressio. Quia cum nullum præceptum, nullaque virtus obligent, nisi medio conscientiæ judicio, quod est proxima operandi regula: notitia virtutis, ac præcepti eadem obligandi vires obtinet, ac ipsum præceptum, ipsaque virtus. Quare peccans contra conscientiam, non peccat contra duplicem regulam, duplicemque virtutem, sed contra eamdem sibi notam, ac propositam. Et ita docent *Cordub. ea q.* 4. *post* 6. *propos. in dub.* 1. *Vasq. in d. c.* 3. *n.* 11. *Azor. eo c.* 8. *q.* 7. *Sayr. eo c.* 4. *n.* 21. *Salas ea sect.* 3. *num.* 33.

6 Duplex autem circa hoc difficultas est. Prior est, qualis culpa sit, quando conscientia quidpiam illicitum judicat, nec tamen cogitatione distinguit, an veniale an mortale sit? In primis (ut benè ait *Vasquez statim citandus*) si id esse illicitum in aliqua peculiari specie conscientia dictet, debet ex ea judicari, an sit mortale, an veniale. Ut si dictet hodie esse diem jejunii, aut festivum, quantitas culpæ debet ex horum præceptorum trasgressione judicari, quæ est mortalis. At verò si proponat confusè, ut peccatum, non determinata materia peculiari, nec unde possit deduci, an mortale, an veniale sit. *Cordubа in suo quæst. l.* 3. *q.* 4. *in* 6. *propos. allegans Angestum*, dicit eamdem esse hujus rationem, & proponentis in genere peccare, nullam speciem determinando, & addit aliquando fore veniale, aliquando mortale: subticet tamen quando hoc contingat. Aliis placet esse culpam venialem. Quod in eo actu sola conscientiæ dictantis malitia sit volita. Cum ergo solam malitiam generalem dictet, & tota ea in veniali reperiatur erit sola venialis. Deinde, quia velle id, quod in genere dumtaxat reputatur illicitum, non videtur gravis malitia. Cum adhuc ejusmodi voluntas se intra rationis communis veniali, ac mortali limites contineat. Ita docent *Navarr. Sum. Lat. pralud.* 9. *n.* 9. *Valentia* 1. 2. *disp.* 2. *q.* 14. *punct.* 4. *q.* 3. *in fine*, *Lud. Lopez.* 1. *par. instr. conscientiæ, c.* 3. *vers. Prærea, quia in mentem, Manuel.* 1. *t. Sum. in* 2. *edit. c.* 71. *in fine*, *Salas* 1. 2. *q.* 21. *tract.* 8. *disp. un. sect.* 3. *n.* 33. At etsi hoc probabile sit, existimo probabilius fore lethale, quale esset proponentis in genere peccare. Quippe cum absq; sufficienti examine qualitatis culpæ, voluntas eam amplectatur juxta suæ conscientiæ dictamen, aut juxta id peccandi in genere propositum, exponit se manifesto culpæ mortalis periculo. Et ita docent *Vasquez in* 1. 2. *q.* 19. *articul.* 6. *disp.* 59. *c.* 3. *num.* 10. *Azorius tom.* 1. *instit. moral. l.* 2. *c.* 8. *q.* 6. *Sayr. in clavi reg. l.* 1. *c.* 4. *n.* 17.

7 Posterior difficultas est. An ad operis malitiam contra conscientiam errantem, desideretur adesse actu illius conscientiæ judicium? *Metina* 1. 2. *q.* 19. *art.* 6. *paulo post. princ. & Manuel.* 1. *t. Sum. in* 2. *edit. c.* 71. *n.* 2. dicunt, nec desiderari actu adesse, nec sufficere habitu: sed opus esse id judicium virtute perseverare. Quod tunc videntur censere accidere, quando id per contrarium dictamen minimè revocatum est. Ut si quis antea judicasset esse furtum, usurpare alienum in extrema necessitate, ac hujus judicii immemor, nec eo revocato, in ea alienum ursurparet, peccaret contra conscientiam errantem. Alii explicant hoc accidere, quando id judicium erroneum non multò antea præcessit: tunc enim virtute perseverare dicitur. At verius est, opus esse, ut id judicium actu perseveret, dum opus contra conscientiam errantem fit, ut culpæ imputetur. Quia, ut intentio præcedens virtute manere dicatur, desideratur eam per aliquem effectum derivari, & perseverare. Nam si nullum opus ex ea derivaretur, in quo diceretur manere, nil refert, an longo, an brevi antea tempore ea intentio præcesserit. At id erroneum judicium præcedens caret omni prorsus effectu, in quo manere dicatur. Item, quia ex opposito sequitur, infidelem semel existimantem ad operis bonitatem opus esse, ut id ad idolum referatur, peccatorum in omnibus operibus ex objecto bonis, quæ illius judicii immemor efficit. Quod absurdissimum est. Et ideò hanc partem tuentur *Azor. d. c.* 8. *q.* 12. *Salas ea sect.* 3. *n.* 29. *Vasquez d. ar.* 6. *disp.* 60. *c.* 3. *in fine*, ubi benè explicat tunc actu id judicium permanere, quando actu conscientia aliquo modo reclamat, vel per plenum judicium, vel per aliquam dubitationem. Cui addo idem esse, quando culpabile esset eam malitiam priùs existimatam non advertere. Quia is advertendi defectus non liberaret culpa, sicut nec ignorantia culpabilis ea liberat.

8 Tertiò deducitur, deposita rationabiliter conscientia erronea, nullam esse culpam agere contra illam. Quod universi fatentur. Et ratio est clara, quia tota culpæ ratio ex ea consurgebat.

9 At difficultas est, qualiter justè deponatur hæc conscientia errans, ut opus contra eam vacet culpa. Aliquibus placet posse eam ad libitum, & absque ulla ratione deponi quoad applicationem ad opus. Quia cum in proposito tota culpæ ratio ex eo errore pendeat, si hic aut non admittitur, non perseverat, nulla contra conscientiam culpa admittetur, etiamsi alioquin operans ille putaret rem illam in universali, seu speculativè esse illicitam, dummodò hìc, & nunc non putet rem illicitam esse. Et hujus exemplum adhibet *Cajetanus statim referendus*. Si mulier ignorans audiret à concionatore, esse mortale uti capillis alienis, eò quòd simulationis mendacium sit, & concipiat ratione, & auctorita-

te

te prædictis convicta, id erroneum judicium dictans usum illum esse mortalem, & appetitu victa utatur illis, nesciens contrariam rationem solvere, putans tamen sibi licere, non peccabit. Quippe etsi maneat in universali, & speculativè judicium erroneum, non tamen manet in particulari, & practicè ad id opus applicatum. Sic tradunt *Cajetan.* 1. 2. *q.* 19. *ar.* 6. *in fine*, *& ibi Metina dubio* 3. *ante solutionem ad* 1. *Navar. c. Si quis autem*, *n*, 62. *de penit. dist.* 7. *Valentia* 1. 2. *disp.* 2. *q.* 14. *punct.* 4. *q.* 3. *Azor. to.* 1. *instit. moral*, *l*, 2. *c.*19. *in fine*, *Suyr. in clavi regia l.* 1. *c.* 4. *n.* 18.

10 At hoc nullatenus credo. Quia temerè deponitur conscientia, & temerè universalis, seu speculativa, non applicatur practicè, & in particulari. Cum tamen exigatur ratio justa, ut id liceat. Ut diximus *cap. praced. num.* 7. Insuper, quia ex vi talis modi deponendi, potest similiter conscientia vera deponi, ac valde per accidens est, ut ea erronea, & falsa sit. Et ita hanc partem tuentur *Victoria relectione de Indis* 1. *p. paulò post principium*, *Joannes à Metina C. de confessione*, *tractatu* 2. *in quæst. de tempore*, *quo confiteri oportet*, *in fine*, *Navarr. allegato Gersone c. Si quis autem*, *num*, 51. *&* 101. *de pœnitentia*, *d.* 7. *Corduba in suo quæstionario*, *lib.* 3. *q.* 12. *in fin. Vasquez* 1. 2. *q.* 19. *ar.* 6. *disp.* 67. *c.* 1. *ad fin. Salas* 1. 2. *qu.* 21. *tractat.* 8. *disputatione unica*, *sect.* 3. *num.* 30. Addit autem *Vasquez ibi*, judicium conscientiæ erroneæ ratione aliqua conceptum, dependendum necessariò esse alia efficaciori, ut recta operatio contra priorem conscientiam fit. Quippe si minùs efficax, ac minùs probabilis sit, non sufficiet ad assensum contrarium generandum, ac proinde, ut prior erroneus deponatur. Quod idem videntur dicere *Joannes à Metina*, *& Corduba proximè allegati*. At revera id non docent, sed tantùm dicunt melius esse tunc dubitare, quàm in partem minùs tutam declinare. Sed credo non esse opus ratione efficaciori. Quia minùs efficax, minùsque probabilis, sufficit ad conficiendum assensum alterius partis probabilem, retento tamquam probabiliori conscientiæ erroneæ assensu, quod ad rectam operationem satis est, (Ut diximus *cap.* 9. *num.* 14. *&* 18.) Sententia autem *numero præcedenti* relata erit vera, si sano modo intelligatur, nempè, quando conscientia erronea temerè, ac sine causa justa, & sine auctoritate, fuit concepta, potest sine alia causa deponi. Ut tradunt *Joannes à Metina*, *& Corduba proximè relati*. Quod benè intelligit *Vasquez. eo c.* 1. *in fine*, ut id quod absque ratione aliqua per se probabili, sed statim per se cognitum hæsit animo, & judicatum est malum, judicetur culpa carere. rem meliùs considerando, & perpendendo absque ratione id judicatum esse malum.

11 Ex his infertur, quando temerè, & absque ratione sufficienti, conscientia erronea deponitur, vel non applicatur universalis particulari operationi, esse peccatum ejusdem speciei, & gravitatis, cujus esset operari contra eam conscientiam erroneam nondum depositam. Quòd malitia talis tumerariæ depositionis consistat in modo deponendi, qui expositus est periculo simili modo deponendæ conscientiæ non erroneæ, sed veræ, & sic periculo trasgrediendi ejus præcepti, quod violari falsò dictat conscientia illa falsa, & erronea, & dictaret violari verè, si conscientia illa non errans, sed vera esset. Et ideò ratione hujus periculi eadem est malitia sic operari, ac si conscientia non esset deposita.

12 Secunda conclusio. Quando conscientia erronea est vincibilis, seu culpabilis, & dictat aliquid esse sub præcepto, quod quidem peccatum erat, ut si dictat teneri quempiam furari, ut pauperi subveniat, peccati reus erit sive furetur, sive non furetur: furando quidem contra præceptum non furandi, à cujus transgressione ignorantia illa culpabilis excusare nequit: non furando autem, quia contra conscientiæ erroneæ dictamen agit. Quamobrem hic per accidens, & secundùm quid, supposito suo culpabili errore perplexus erit, non autem simpliciter, & ita non ex necessitate peccat. Quippe potest, & tenetur eam conscientiam deponere tamquam culpabilem. Sicut supposita prava voluntatis intentione, qua quis animum quærendæ vanæ gloriæ ex Missa in die festi audita habet, est perplexus. Nam omittens sacrum peccat contra præceptum, & similiter audiens peccat ratione pravi illius finis. Et ita docent *D. Tho.* 1. 2. *q.* 19. *a.* 6. *ad* 3. *& ibi Metina qu.* 1. *Vasquez ibi*, *disp.* 60. *c.* 2. *num.* 6. *Cord. in q. l.* 3. *qu*, 4. *ad fin. Valentia* 1. 2. *disp.* 2. *q.* 14. *punct.* 5. *ad* 2. *Azor. to.* 1. *lib.* 2. *instit. moralium c.* 8. *quæst.* 8. *Salas eadem sect.*3. *n.*23. *& omnes*. Quod intellige, nisi eum illius ignorantiæ culpabilis pœniteat, tunc enim ea ignorantia quam hic, & nunc non potest vincere, redditur invincibilis. Peccatum enim præteritum ad alia peccata compellere nequit. Quoniam præteritum in nostra potestate non est, benè autem sunt futura. Quare de hoc idem dicendum erit, quod *duplici numero sequenti* de laboranti ignorantia invincibili dicemus.

13 Major autem difficultas est, quando ignorantia est invincibilis, & putaret errans utramque contradictionis partem peccatum esse, nec utra gravior distinguere nosset, nec quam in eo dubio amplecti teneatur: an peccet alterutram partem amplectendo. Quod rusticis non rarò contingere solet, putant enim se non audiendo sacrum in festis peccare: ac similiter deserendo gregem, ut sacrum audiant, nec quod ex illis præceptis incompossibilibus anteponendum sit, discernere norunt, nec præ manibus Doctorem consulendum habent. Atque idem dubium est, quando ignorantia initio culpabilis reddita est ratione pœnitentiæ inculpabilis juxta dicta *nu. praced. in fin.* Quibusdam Neotericis placet hunc culpa liberari, sive unam, sive alteram partem amplectatur. Quod etiam tenet *Man.* 2. *to. Sum. c.* 51. *n.* 6. quamvis non explicet quando ignorantia est inculpabilis. Ducuntur, quòd huic non sit liberum culpam vitare, cum quidquid faciat, culpam esse existimet. At agere contra conscientiam libertate deficienti, culpa vacat, (ut *nu.* 3. diximus.) Deinde, quia aliàs daretur perplexitas simpliciter. Quod universi D. D. *nu. praced.* adducti negant: atque negare necesse est, ne statum admittamus, in quo alicui absque sua culpa peccare necessum sit. Alii sentiunt hunc utravis parte electa peccare. Quod is actus absolutè in objectum in sua æstimatione prohibitum tendat, sitque plenè liber. Cum re vera possit ille gregem deserere, & sic audire sacrum: & similiter possit omisso sacro gregem custodire. Et ideò utravis pars libertate plena gaudet. Quare ne contra omnium mentem, & veritatem ipsam, hanc perplexitatem simpliciter, & præcisam peccandi necessitatem admittant, negant similem casum posse dari: atque ad divinam providentiam pertinere ajunt, aut hunc hominem tunc illuminare, aut hypothesim non permittere. Atque *Metina num. præcedenti allegatus* hunc à Deo illuminandum docet. Quod in similibus eventibus, in quibus absurda utrinque contingunt, Doctores passim fatentur.

14 Sed quamvis utrumque dicendi modum probabilem existimem, prior magis placet. Quia etsi actus ille utravis parte electa sit in se, & absolutè liber, & ut fertur in objectum illud malum existimatum: ut clarè probat ratio contraria. At non est liber in ordine ad culpam vitandam: cum utravis parte electa, culpa necessariò immineat. At ut actio culpæ imputetur, libertas actionis, quatenus culpam vitare potest, desideratur. Itaque potest dici actionem illam esse liberam in genere entis, sive naturæ, non autem in genere moris. At peccatum utramque libertatem desiderat. Sicut transgrediendi jejunii actio libera est in genere naturæ ignoranti invincibiliter jejunium, aut per naturalem oblivionem manè comedenti; at culpa vacat, defectu libertatis in genere moris. Dices non esse simile, quia in hoc exemplo voluntas non fertur in malum cognitum, & ita deficit libertas moralis. At in nostro casu voluntas fertur in malum cognitum, & ut malum propositum à conscientiæ erroneæ judicio: ac proinde libertas moralis non deficit. Sed respondeo, sicut in eo exemplo voluntas non fertur in malum, ut malum est, excusante ignorantia, aut oblivione inculpabilibus: ita in nostro non fertur in malum, ut possibile vitari moraliter, excusanti erroneo inculpabiliter judicio utramque partem malam esse dictanti. At libertas moralis petit ferri voluntatem in objectum malum possibile vitatu, quatenus malum est. Quod colligo ex *Adr.* 4. *materia de restitut. qu. incipit*, *Quia dictum est*, *quod detinendo alienum*, *vers. Mihi videtur*[*planius*, ubi ait quando utraque pars æquè dubia est, & æquè alicui periculosa, ad quam obligetur, eum non exponi periculo, ac culpam evadere, utramvis partem amplectatur: quia non liberè periculum amat, quod vitare nequit.

15 At quæres, quando conscientia culpabiliter erat, dictaque alicui se ad aliquid teneri, quod revera peccatum est, ac proinde utramvis partem eligat, peccati reus est, (ut *n.* 12. diximus) an gravius sit peccatum conscientiam sequi, an contra illam agere? Breviter dico regulam certam præscribi non posse, sed id ex materia ipsa expendendum esse. Quia obligatio conscientiæ non est alia à præcepti, & materiæ, quæ conscientia apprehendit, obligatione. Quare cum variæ materiæ, variaque præcepta, ac prorsus disparia concurrere possint, regula ex materiæ, & præcepti inæqualitate deducenda est; & gravius peccatum erit, quod sub graviori peccato obligare apprehenditur. Ut si quis culpabiliter existimet, se teneri mentiri pro tuenda innocentis vita gravius peccatum esset non mentiri contra conscientiæ dictamen, quàm mentiri contra non mentiendi præceptum. Quia obligatio per errorem existimata tuendæ vitæ hominis cum mendacio, est sub mortali, utpote quæ ad vitandum homicidium pertinet. At obligatio non mentiendi est sub veniali. Quod è contra dicendum esset, si tuendæ vitæ obligatio esset minùs gravis. Ita reprobato *Bossolo* dicenti gravius peccatum semper fore, sequi hujus conscientiæ errantis dictamen, sustinent *Corduba in quæst. l.* 3. *quæst.* 4. *post* 6. *propos. dub.* 2. *Vasquez.* 1. 2. *disp.* 60. *cap.* 3. *num.* 10. *Azor. to.* 1. *l.* 2. *instit. moral. cap.* 8. *quæst.* 9. ubi alios referunt, *Sayro alios allegans in clavi regia*, *l.* 1. *cap.* 4. *num.* 24. 25. *&* 26. *Salas eadem sectione* 3. *numer.* 27.

16 Rursus quæres, an conscientia errans plus obliget prelati præcepto? In quo variis opinionibus relictis, relatis per *Vasquez.* 1. 2. *disp.* 61. *toto cap.* 1. breviter sic distinguo. Si talis conscientia inculpabiliter erret, plus obligat, quàm prælati præceptum. Quòd is conscientiam sequendo minimè peccet, utpote, quas invincibiliter erat: obediendo autem delinquat contra illius conscientiæ dictamen, quamdiu illud non deponitur. Si autem culpabiliter erret, plus etiam obligat, si de obligatione intensiva loquamur, id est, de strictiori præcepto, & sub graviori culpa. Quia agens contra conscientiam, peccat contra proximam humanarum actionum regulam, & qua mediante præcepta quæcumque

vires

vires obliganti obtinent. (Ut diximus *cap.* 9. *nu.*1.) Insuper contra præceptum Dei peccat, quòd directè violat frangendo obligationem, quam falso conscientia errans proponit. At non obediens prelato, directè frangit præceptum humanum: & quamvis indirectè transgrediatur præceptum Dei, cujus nomine prelatus jubet, verùm hanc transgressionem non vult directè, sed indirectè, quatenus culpabiliter errat. Hoc autem intelligitur cæteris paribus (ut benè ait *Vasquez proximè allegatus*) quia si non facere, quod dictat conscientia, sit solùm veniale, at non obedire prelato credat esse mortale, magis obligabit præceptum prelati. Si autem de extensiva obligatione, id est, ad plura obliganti sermo sit, plus obligat prelati præceptum, imponit. n. deponendæ conscientiæ erroneæ vincibilis præceptum, & obediendi. Ea verò conscientia erronea solam illi parendi obligationem producit. Atque ita conciliari possunt diversæ sententiæ, quas refert *Vasquez proximè allegatus*.

17 Ultima conclusio. Actus ille, quo conscientiæ invincibiliter erranti, ac dictanti aliquid esse bonum, quod verè peccatum est, voluntas se conformat, est bonus, ejusdemq; virtutis, cujus esset, si revera objectum illud à parte rei tale esset. Ut si ex hac conscientia quis judicet se ad mentiendum teneri, ut proximo subveniat, mentiri tunc erit actus bonus virtutis misericordiæ. Probatur, quia homo tunc simpliciter obligatur ad actum illum: ut constat ex dictis. Ergo erit bonus. 2. quia non peccat in eo actu. Ergo benè operatur. Tandem, quia objectum, ut est in re ipsa, non tribuit actui speciem, sed ut hic, & nunc proponitur. At hic, & nunc proponitur, ut honestum, atque ignorantia est invincibilis, ergo reddit actum honestum. Et hæc obligatio oritur ex vi præcepti illius virtutis, ad quam pertinere talem actum existimatur. Quod si objicias, inde sequi obligari tunc hominem ad malum, ac contra Dei legem. Respondeo formaliter non esse obligationem ad malum, & contra legem Dei, sed ad bonum. Quamvis enim in se, & materialiter sumptum objectum illud malum sit, & contra Dei legem; at formaliter, & ut actus humanus, bonum est, nec contra Dei legem, quæ tunc non obligat, excusanti ignorantia invincibili, & præponderanti alia fortiori Dei lege obediendi conscientiæ invincibiliter erranti. Nec huic conclusioni opponitur *D. Tho.* 1. 2. *q.* 19. *ar.* 6. *ad* 1. dicens, non ex eo quòd sit peccatum agere contra conscientiam errantem, sequi esse honestum agere secundùm eam. Quòd bonum ex integra causa, malum autem ex singulari defectu consurgat. Solùm enim videtur asserere, quod illius argumenti solutio petebat: nimirum, non semper esse bonum facere, quod bonum putatur, etsi semper sit malum facere, quod malum creditur. Quod dicit propter conscientiam vincibiliter errantem, dictantemque id quod malum est, esse bonum: tunc enim peccat. Quia revera vult malum ignorantia illa culpabili non excusante. At quando conscientiam invincibiliter errantem sequitur, non verè vult malum. Quippe tunc objecti malitia sit omninò involuntaria. Sed eligit voluntas rem, ut putatur invincibiliter bona: unde ex parte voluntatis est integra bonitatis causa. Et ideò hanc conclusionem tenent contra *Martinum de Magistris*, *& Angestum*, *Almainus lib.* 1. *moralium cap.* 4. *Corduba in suo quæst. lib.* 2. *q.* 23. *propos.* 1. *Azor. tom.* 1. *instit. moralium l.* 2. *c.* 8. *q. ult. Salas ea sect.* 3. *num.* 20. qui *nu.* 21. benè ait, si conscientia errans dictet esse actum indifferentem, non fore indifferentem. Quia verior sententia tenet actum indifferentem non posse dari.

CAPUT XII.

Qualiter pueri, amentes, ebrii, infideles, ad generalia præcepta teneantur: & forenses, & peregrini ad loci consuetudines, & leges, quando extra illum sunt: vel ad loci, per quem transeunt, leges?

SUMMARIUM.

Aliud est lege non obligari, & ab ejus transgressione excusari, numer. 1.

Pueri ante rationis usum nullis legibus adstringuntur, n. 2.

Quid de perpetuò amentibus, vel iis qui aliquando sui compotes fuere? num. 3.

Quid, si in sola aliqua speciali materia amentes sint; num. 4.

Infideles non ligantur præceptis Ecclesiæ, sed benè naturalibus, numer. 5.

An pueri statim ac usum rationis habent, teneantur legibus Ecclesiæ, & qua ætate id contingat? n. 6.

An semel in anno non fatentes sint excommunicandi, ne pœnis et. Omnis utriusque sexus, de pœnit. plectendi? v. 7.

An pueri rationis usum habentes sint excommunicationis, & irregularitatis capaces, & infantes, & amentes claudantur sub interdicto? n. 8.

An infantibus possint dari carnes, & lacticiniæ diebus vetitis? num. 9.

An possint hi, amentes, & ebrii, divinis interesse interdicti tempore? n. 10. *Et sepeliri in Ecclesia? n.* 11.

An possint pueri, puellæ, & amentes intra monasteria admitti? Remissivè, n. 12.

An prædicta liceant, quando dubitatur, an pueri usu rationis gaudent? n. 13.

An infidelibus, & catechumenis possint cibi vetiti dari? num. 14.

An teneantur præcepto Eucharistiæ? num. 15.

An amentibus possint dari cibi vetiti? n. 16. *Et teneantur hi, & ebrii præcepto audiendi sacri? n.* 17.

An possint domini facere, ut servi infideles, amentes, aut infantes laborent in die festo? n. 18.

Peregrini mutantes domicilium non tenentur legibus prioris, sed posterioris, n. 19.

Quid, si eo semel constituto animum mutent? n. 20.

An quando non mutant domicilium, at leges transitus sunt eædem, & domicilii, teneantur illis? n. 21.

Quid, si in loco domicilii id præceptum implerint? n. 22.

An vagi teneantur legibus loci, ubi reperiuntur? n. 23.

An sit idem, quando sunt diversæ leges in diversis oppidis, & in diversis parochiis? n. 24.

Quid, si ex non observantia sequatur scandalum? n. 25.

An peregrini teneantur legibus patriæ, quando ab ea etiam brevi absunt? n. 26. *&* 27.

Quid, si sint leges juris communis? n. 28.

Lusitanis per Castellam transeuntibus, an liceat die Sabbati intestinis vesci? n. 29.

Exteri, an possint Mediolani in quatuor primis quadragesimæ diebus vesci carnibus? n. 30.

An liceat egredi domicilio in festo ad locum ubi non est festum; ad laborandum, non audito sacro? n. 31. *&* 32.

Abiens ex loco, ubi non jejunatur, ad locum ubi jejunatur, possit ne manè jentaculum, & carnes sumere? n. 33.

Quid è contra, si abeat ex loco, ubi jejunatur, in locum ubi non jejunatur? num. 34.

Quid si hæc absque alia causa fiant, præterquam in fraudem præcepti, ad eximendum se illo? num. 35.

An quando sunt diversæ leges domicilii, & transitus, teneantur peregrini legibus loci transitus quoad contractus in eo celebratos, & quando leges sunt in ejus oppidi bonum? n. 36.

Quid extra hos casus? Refertur quædam sententia, n. 37.

Sententia Auctoris explicatur, num. 38.

Quid si ea leges sint juris communis, & in proprio domicilio sint abrogatæ? num. 39.

Quid si quis in duplici oppido, aut parochia domicilium habeat numer. 40.

Quando in hospitii loco mora exigatur, ut peregrini legibus peculiaribus illius teneantur? num. 41.

An teneantur ex puncto ingressus cum animo ibi morandi toto eo tempore, quamvis postea animum mutent? num. 42.

1 PRÆMITTENDUM est, aliud esse non obligari lege, & aliud à legis transgressione excusari. (Ut diximus *lib.* 9. *de matrim. disp.* 32. *n.* 2.) Nam ignorans legem sufficienter promulgatam obligatur illa: at dum ignorat, excusatur ab ejus transgressione. Incolæ autem loci, in quo non est sufficienter promulgata, aut non recepta, minimè illa ligantur.

2 I. Conclusio sit. Pueri ante rationis usum nulla lege divina, naturali, vel humana obligari possunt. Quia cum per se sint ea ætate usus rationis incapaces, nondum legalis vinculi, quod est præceptum quoddam rationale, capaces sunt. Hanc tenent *Pallud.* 4. *d.* 15. *q.* 5. *art.* 1. *n.* 7. *& ipsum secutus Paez. c. Missas*, *nu*, 62. *de confecr. d.* 1. ubi ajunt hos non magis obligari aliqua lege, quàm bruta. Eamdem tenent *Sotus lib.* 2. *de just. q.* 3. *articul. nono colum.* 4. *Metina* 1. 2. *q.* 94. *art. primo*, *colum. secunda*, *Suarez* 3. *tom. in* 3. *par. q.* 73. *art.* 3. *disp.* 40. *sect.* 2. *vers. Et juxta hanc*, *Azor. tom.* 1. *lib.* 7. *institut. moralium*, *cap.* 40. *q.* 6.

3 II. Conclusio. Amentes, sive qui aliquando sui compotes fuere, sive perpetuò amentes, tenentur legibus naturalibus, divinis, & humanis, ex ea ætate, qua usus rationis accidere solet, etsi à legis transgressione, ac pœna excusentur. Hæc conclusio placet multis Neotericis doctissimis. Et prior pars ex se constat. Quia ii amentes fuere aliquando lege obligati, & cum lex eamdem obligandi vim retineat, non est cur dicamus eos illa deobligari, sed ratione defectus deliberationis ab ejus transgressione excusabuntur. Sicut ignorantes ratione ignorantiæ excusantur. At de perpetuò amentibus videtur major difficultas: quòd videantur sicut pueri, quibus nondum usus rationis advenit. At differentia inter eos est, quòd infantes ea ætate suapte natura usus rationis incapaces sunt: ac proinde non est dicendum eos excusari. Quod est velut quædam privatio, ac ideò subjectum suapte natura obligationis capax requirit: sed dicendum est non obligari, quod quædam negatio est. At perpetuò amentes, ubi jam infantiæ ætatem excedunt, suapte natura usus rationis capaces sunt, & ex quodam solo accidenti illo privantur: & ideò verè dicuntur per modum privationis à legis transgressione excusari. Sicut catulus ante nonum diem non dicitur cæcus, sed non videns. Quia nondum est capax visus: secùs si post nonum diem non videat: tunc enim dicetur cæcus, utpote qui jam visus capax erat.

4 Hoc tamen intellige de simpliciter amentibus; ij, n. qui in quadam sola materia tales sunt, at in cæteris rationis usu perfruuntur, non excusantur à legum observatione, in ea materia, in qua sunt sui compotes. Ut probavi *lib.* 1. *de matrim. disp.* 8. *n.* 23.

5 III. Conclusio. Infideles nullis Ecclesiæ legibus tenentur,

tur, sed benè tenentur naturalibus. Quia extra Ecclesiæ potestatem sunt. Hæc definitur *c. Gaudemus de divort.* Et fatentur omnes.

6 IV. Conclusio. Pueri dum ad usum rationis perveniunt, quod communiter septennio completo accidere solet, (ut probavi *lib. 1. de matrim. disp. 16. nu. 2.*) tenentur omnibus Ecclesiæ legibus, præter jejunii, & Eucharistiæ legem: de qua lege suis locis dicetur. Hæc est contra *Sotum 4. d. 12. q. 1. ar. 11. ad finem corporis*, ubi ait pueros non teneri ad Ecclesiasticum confessionis præceptum, nec ad reliqua. Ecclesiæ præcepta usque ad annum duodecim: & contra *D. Antonin. 2. p. tit. 9. c. 8. §. 2.* dicentem, pueros non teneri confiteri usque ad decimum, & dimidiatum annum, & aliquantulum ultra: & fœminas usque ad nonum & dimidiatum annum, & aliquantulum ultra. Et contra *Emmanuel. Sà Sum. verb. Confessio, n. 3.* dicentem confessionis præceptum minime obligare usque ad pubertatem. Et contra *Enriquez l. 8. de Euchar. c. 42. n. 4. in initio*, ubi ait pueros non statim ac rationis usum habent, obligari præceptis Ecclesiæ. *Et lib. 13. de excom. cap. 49. n. 2. in comment. lit. N*, ubi ait cum *Ledesm. 2. p. 4. q. 17. ar. 6. dub. 2. in fine*, consuetudinem habere, ut parum post rationis usum lacticinia eis in diebus vetitis dentur. Sed nostra conclusio, quoad confessionis præceptum, probatur ex *c. Omnis utriusque sexus, de pœnit.* ubi præcipitur, ut omnes fideles cum ad discretionis annos pervenerint, singulis annis fateantur. Nec obstat idem *ibi* decidi de communione annua, quam non obligare pueros constat, donec perfectionem rationis usum adepti sint. Quia ex ipsomet contextu constat diversimodè sumi annos discretionis in utroque præcepto. Quia in confessionis præcepto id absolutè dicitur: at in præcepto communionis dicitur, ut reverenter accipiant communionem, ad quod major discretio desideratur. Insuper dicitur, nisi de confessoris consilio differenda communio videatur. At omnis prudens confessarius id consuetudine Ecclesiæ attestante judicat. 2. quia Ecclesia præceptum annuæ confessionis imponens, solum tempus implendi præcepti divini dè confessione determinavit. At jure divino omnis rationis usum habens ad peccandum, si mortaliter peccet, tenetur fateri. Quippe nullum aliud medium peccato mortali post baptismum commisso expiando Christus reliquit, præter confessionis sacramentum. Ergo & jure Ecclesiastico ad confessionem annuam tenetur. De reliquis Ecclesiæ præceptis constat etiam. Quia cum pueri hi usu rationis gaudeant, ac proinde legalis obligationis capaces sint, sicut lege naturali obligantur, ita & Ecclesiastica. Nec enim jus aliquod, aut recepta consuetudo eos excipit. Et ita loquentes de confessionis præcepto tenet multi, quos referunt ac sequuntur *Sotus sibi contrarius 4. d. 17. q. 1. art. 3. ad fin. corp. Navar. Sum. cap. 21. num. 33. Enriquez l. 4. de pœnit. c. 5. num. 2. Suarez 4. to. in 3. p. disp. 36. sect. 2. n. 3. Azor. to. 1. l. 7. instit. moral. c. 40. q. 6. & c. 41. qu. 10. Valentia 4. p. disp. 7. q. 9. punct. 4. in fin*, Et idem tenent de præcepto audiendi sacri *Palud. & Paez, ubi n. 2. eos allegavi, Sylvest. verb. Missa 2. q. 1. Navar. sum. c. 21. n. 1. Azor. alios referens eo l. 7. instit. moral. c. 2. q. 1. Suarez proximè allegatus*. Et de aliis Ecclesiæ præceptis, ut de abstinentia à carnibus & lacticiniis, tenent *citatis Innocentio, & aliis, Azor. eo l. 7. c. 28. q. 2. in fine, Cordubæ Sum. q. 60. d. 4. vers. Y quanto al no comer, Manuel. in bullæ Cruc. §. 6. n. 2. Ant. Gom. in eadem bullæ, clausulæ 7. n. 16. & 17.* Idem docent loquentes de abstinentia à carnibus, *Angles Floribus 1. p. q. 6. de jejunio, diffic. 6. in fine, Suarez proximè allegatus, Enriquez l. 4. de pœnit. c. 5. n. 2. in commento, lit.* M.

7 Id tamen fatendum est, pueros qui XII. annum nacti non sunt, omittentes annuam confessionem, non plectendos esse pœnis statutis in *c. Omnis utriusque sexus, de pœnit.* nempè, ut arceantur ab Ecclesiæ ingressu, & Ecclesiastica sepultura careant, nec esse excommunicandos. Quia cum alii tardiùs, alii citiùs rationis usum attingant, noluit pia mater Ecclesia eos censuris ad sua præcepta servanda cogere usque ad eam ætatem. Quod colligitur ex *c. 1. de delict. puer.* ubi pueros delinquentes non pœna ordinaria plectendos esse decernitur. Sic tenent dicentes, donec puer duodecimum, vel decimum quartum annum nactus sit, *Sotus 4. d. 18. q. 1. ar. 3. ad fin. corporis, Azor. eo l. 7. instit. moral. c. 40. q. 6.* & dicentes usque ad annum XII. *Cordubæ Sum. q. 60. dict. 4. Valentia 4. p. disp. 7. qu. 9. punct. 4. in fin. Enriquez l. 8. de Eucharistia c. 42. in fine, Manuel. 1. tom. Sum. in 2. edit. c. 57. n. 2.* Et non incurrere donec puer ita perfectum rationis usum habeat, ut ad communionem obligetur, docet *Suarez 4. tom. in 3. par. disp. 36. sect. ult. in fine.*

8 Non tamen in universum id habet verum: si enim puer doli capax clericum percutiat, incurret excommunicationem. Ut constat ex *c. Pueris, juncta gloss. verbo Pueris, de sent. excomm.* & tradunt multi, quos referunt, & sequuntur *Enriquez l. 8. de Euchar. c. 42. comment. ult. Azor. eo l. 7. institut. moral. c. 41. q. 10.* Et si alium occidat, erit irregularis. Ut colligitur à contrario sensu ex *Clem. si furiosus, de homic.* & cum aliis docet *Sylvest. verb. Homicidium 3. q. 1. dict. 5. & qu. 2. dict. 3.* Atque si populo sacris interdictum sit, comprehenduntur etiam pueri doli capaces. *Sylvest. verbo interdictum 2. n. 18. Cordubæ Summa q. 60. dict. 3. Azor. ea q. 10.* At non comprehenderentur non doli capaces, nec omninò amentes. Ut aliis relatis tradit *Enriquez l. 13. de excomm. c. 42. n. 3.*

9 Ex dictis deducitur 1. pueris nondum usum rationis, adeptis posse licitè quibusvis diebus porrigi carnes, & lacticinia. Quia (*ut n. 2.* diximus) nullis legib. adstringuntur. Ita *Cajet. 2. 2. q. 147. a. 8. dub. 1. in fine, Cordubæ summ. q. 60. dict. 4. & 5. Angles, Manuel. Ant. Gom. n. 6. allegati, Fedraca in sum. 3. præcepto, §. 14. in fine, Azor. eo l. 7. instit. moral. c. 28. q. 3. Emmanuel. Sà Sum. verbo Jejunium, in fine.* Et DD. quos *n. 6.* retuli dicentes etiam post rationis usum id licere. Unde non approbo, quod ait *Toledo in Sum. l. 6. cap. 3. n. 4. versic. 3.* nempè, licere his porrigi lacticinia. non tamen carnes. Et quamvis *Cajet. Azor. Manuel. Ant. Gomez.* licere hæc pueris porrigere tribuat consuetudini, & ita *Cordubæ ea qua. 60. dicto 4.* ait id licere ubi consuetudo id habet: credo tamen nullam illius rationem habendam, sed hoc idcò verum est, quia hi nullis legibus adstringuntur.

10 Secundo deducitur, pueros usu rationis carentes posse divinis assistere in loco interdicto, secùs si usum rationis habeant. Hoc est contra *Sylvest. verb. Interdictum 2. q. 17. & Navar. sum. Hisp. cap. 28. addit. ad num. 174. c. 27. Cordubam sum. q. 60. dict. 3. in init.* qui ajunt neutros assistere posse. Et contra *Enriquez l. 13. de excomm. c. 47. nu. 2.* dicentem posse assistere, etsi rationis usum habeant. Sed ratio nostræ sententiæ est, quia sola assistentia humana, & rationalis intercedit: alia enim nil ad divina celebrata refert, sed perinde est, ac si brutum. At ea solùm est in habentibus rationis usum. Et ita docent *Covar. c. Alma mater, 2. p. §. 4. n. 5. vers. 12. Manuel in bulla Cruc. §. 5. n. 14. Suarez 5. tom. in 3. p. disp. 34. sect. 1. n. 34.* ubi meritò reprehendit *Covarruviam*, cui inhæret *Manuel*, & videtur inhærere *Cordubæ ea q. 60. dicto 3. in fine*, quòd statuat medium inter pueros nondum ratione utentes, & illa utentes, & ita dicit pueros qui etsi doli capaces non sunt, percipiunt tamen aliqua ex parte, & norunt Missam ad Dei cultum, & religionem spectare, non posse tempore interdicti adesse. At benè *Suarez* id medium esse negat, & dicit eos excludendos, si ita ratione utantur, ut peccati capaces sint, secùs non. Eadem ratione amentes, ac ebrios rationis usu omninò destitutos, credo posse tempore interdicti interesse. Quòd nequeant modo humano adesse, sed ut infantes.

11 At nequeant sive infantes, sive amentes, in loco sacro tempore interdicti sepeliri. Quod locus interdictus nullum corpus admittere possit. Sic *Covar. & Cordubæ n. praced. relati. & alios referens Enriquez l. 13. de excom. c. 42. n. 3. & cap. 49. n. 2. Suarez 5. tom. in 3. p. disp. 35. sect. 1. n. 2. Azor. t. 1. instit. moral. l. 7. c. 28. q. 3.*

12 An verò infantes, & puellæ usu rationis carentes, & amentes puberes possint intra monasteriorum monialium, aut virorum septa admitti: dicemus *l. 6.* tractantes *de voto obedientiæ*, ubi latè agemus *de monasteriorum clausura.*

13 Sed quæres, an in dubio, puerinè rationis usu gaudeant, liceant, quæ ante rationis usum licere diximus? Sic distinguendum est, si nondum septennes sint, ea licent: secùs si septennes sint. Quia cum usus rationis septennio completo, communiter accidat, non præsumitur in dubio ante id tempus, secùs post. Ut probavi *l. 1. de matrim. disp. 16. n. 10. & 11.* Unde benè ait *Petr. de Ledes. de Sacr. ubi de pœnit. c. 8. fol. 480.* pueros septennes in dubio usus rationis teneri ex Ecclesiæ præcepto fateri. Et quamvis idem videatur de non septennibus dicere, id non credo: At credo teneri hos jure divino in articulo mortis fateri, ob æternæ damnationis periculum, si fortè rationis usum habeant, & peccato lethali infecti sint.

14 Tertiò deducitur, posse infidelibus cibos vetitos in die jejunii dari. Quòd nullis Ecclesiæ legibus subdantur. Sic *Azor. t. 1. institut. moral. l. 7. c. 38. qu. 3.* & idem de cathecumenis est dicendum. Quia ante baptismum illis nemo ligatur.

15 Sed de divino Eucharistiæ sumendæ præcepto est difficultas. Affirmat eos illo teneri, *Suarez 3. tom. in 3. p. 7. 80. ar. 11. disp. 69. sect. 2. dub. 2.* & ita ait in fine vitæ eos Eucharistiam omittentes irretiri duplici omissione lethali, altera baptismi, altera Eucharistiæ. Quia verò Christi imponentis hoc præceptum, *Joan. 6. Nisi manducaveritis, &c.* sunt generalia, & loquebatur cum omnibus audientibus, quorum aliqui infideles erant: & divinæ Christi legem ferentis potestati omnes subsunt. Sed placet cum *Soto 4. d. 18. qu. 1. ar. 3. concl. 1.* eos etsi cathecumeni sint, non ligari hoc præcepto: ac proinde voluntariè omittentes baptismum, sola hujus omissionis culpa ligari. Quia sacramentorum dempto baptismo præcepta, utpotè legis novæ propria, solos baptizatos obligant, qui per baptismum effecti sunt Ecclesiæ membra. Sicut voto religionis ligatus peccat non ingrediens, at ante ingressum non tenetur regulari instituto.

16 4. Deducitur, quid de amentibus sentiendum sit. Videntur enim peccare ministrantes eis cibos vetitos in die jejunii: quamvis ipsi amentes peccandi incapaces sint. Sicut eos ministrans ebrio delinqueret, etsi ebrius non peccet. Nec obstat amentiam esse perpetuam, & absque culpa incurri: ebrietatem verò temporaneam, & culpabilem. Quia impedimentum temporale, & culpabile ita excusat tempore, quo durat, sicut perpetuum excusat perpetuò. De hac re egit *Azor. tom. 1. institut. moral. l. 7. cap. 28. quæst. 3.* & tantùm dixit fas esse ministrare hos cibos perpetuò amentibus, ubi fuerit recepta hos ministrandi consuetudo. Ubi clarè videtur sentire seclusa consuetudine non licere. Nec loquitur de temporaliter amentibus. *Angles* verò *Floribus 1. p. qu. 6. de jejunio, diffic. 6. in fine*, dixit absolutè licere cibos hos amentibus porrigere. Cui assentior, ac credo ex natura rei id licere. Quia si amentes sint ad tempus, vel in una sola materia, aut lucidis intervallis fruantur, cum recuperandæ salutis spes adsit, & amentia sit morbus gravissimus, indigent cibis salutaribus, ut carnibus. Et ita duo medici peritissimi a me consulti id dixere. Quòd si amentia sit perpetua, ac salus desperetur, dixere adhuc hi duo medici eos his cibis indigere: sicut perpetuo paralyticos. Ne cibis minùs salutaribus augeatur humor ille melancholicus amentiæ causa, & aut amentiam augeat, aut citiùs amentes eneeet. At esto illi cibi necessarii non essent, cum hi perpetuò excusentur, ac præcepti incapaces sint, quando sunt perpetuo amentes, jure optimo reputamus eos, ut infantes rationis usu carentes, ut vel sic credendum sit, Ecclesiam habere illos, ut omnino suis legibus solutos: ac proinde poterunt illis hi cibi ministrari. At ebriis credo non posse. Quia ebrietas non est morbus his cibis indigens, & est temporalis, brevisque privatio usus rationis.

17 A præcepto autem sacri audiendi ita excusatos amentes, & ebrios reputo, ut illorum curam gerentes non teneantur efficere, ut ii sacro interfint. Quia id præceptum obligat assistere præsentia humana, & rationali, quali hi nequeunt interesse: Præterea perturbarent officium divinum. Quare benè *Navar. Sum. Latina c. 21. n. 2.* dicit, solos sui compotes teneri sacro adesse. Intelligo autem de absolutè amentibus, nam qui in aliqua speciali materia Missam non tangenti amentes sunt, cum circa illam, & reliqua usu rationis gaudeant, peccabunt, nisi Missæ interfint. Ut *n. 4.* dixi.

18 An verò possint domini efficere, ut servi infideles, aut fideles, qui amentes, aut infantes sunt exerceant in festis servilia, dicemus *circa 3. Decalogi præceptum.*

19 Superest de peregrinis, seu forensibus disputare. De quibus duplex est quæstio. Prior an teneantur legibus, & consuetudinibus sui domicilii, dum ab eo absunt? Posterior an teneantur legibus, & consuetudinibus loci, per quem transeunt, aut in quo ad tempus tamquam hospites commorantur? De utraque latè egimus *libr. 3. de matrim. disputat. 18. à num. 3.* Et ideò Auctores, & rationes illuc remittemus, addendo aliqua. Atque procedit utraque quæstio, quando hi non divertunt alio animo mutandi domicilium, sed solam præsentiam, seu assistentiam ad tempus. Nam quando animo mutandi domicilii, constat eos non teneri in posterum peculiaribus prioris domicilii legibus, sed posterioris. Quia efficiuntur posterioris solius subditi.

20 Semel tamen constituto domicilio, non desinunt obligari legibus illius, sola mutatione animi habitandi illic, ac recedendi, donec re ipsa recedant. Quia domicilium semel acquisitum non amittitur solo eo animo, sed ipso recessus exigitur. Ut probavimus *l. 3. de matrim. disp. 23. nu. 2.* Et ita benè docet *Leonard. l. 4. de just. c. 2. dub. 7. nu. 46. in fine.*

21 Nec similiter quæstio utraque procedit, quando cædem sunt leges, seu consuetudines in loco domicilii, & in loco transitus, tunc enim tenebuntur hi peregrini eas servare. Quod universi DD. supponere videntur, dum disputantes de hac re, eam tractant, quando utrobique sunt diversæ. Et ità meritò dixit *Suarez to. 1. de religione, l. 2. c. 14. n. 15.* absurdum esse dicere, hos non teneri: cum nulla sit causa eos excusans. Quo autem jure teneantur, dicemus *n. 38. in solutione ad 6.*

22 Excipe tamen, nisi hi, sive domicilium, sive assistentiam mutantes, præceptum id utrobique obligans jam in suo oppido implerint, non enim tenentur amplius ad id. Ut Montellæ est consuetudo, ut præcepto communionis obligantes ex jure communi in paschate, satisfiat quocumque quadragesimæ die: qui aliqua ex his diebus Montellæ illi satisfecere, quamvis mutent domicilium ante pascha in locum, ubi jus commune viget, non tenentur in paschate communicare. Similiter si expleverunt jejunium quadragesimæ vel vigiliæ, vel servarunt festum in suo oppido, non teneantur ad hæc præcepta, etsi mutent domicilium in locum, ubi id jejunium non est peractum, vel vigilia illa, & festum nondum incidere. (Quòd sæpe contingit ratione novi Kalendarii, quod non est ubique receptum.) Quia ea præcepta solùm obligant ad semel explendum, utpotè quæ prorsus eadem sunt. Et ita docet optimè *Leonard. eodem dub. 7. nn. 52.*

23 Neutra etiam quæstio procedit de vagis. Quia hos existimo teneri omnino legibus, & consuetudinibus solius loci, in quo etiam obiter reperiuntur. Quia cum nullum peculiare domicilium habeant, fortiuntur illud quoad omnia in loco, in quo reperiuntur. Item quia nequeunt aliter acquirere jura, sive effectus domicilii: & aliàs dicendi essent exempti ab omnibus legibus municipalibus, & Episcopalibus. Quod rectæ eorum gubernationi adversatur. Et ita docet *Sotus 4. diss. 18. quæst. 4. art. 2. col. 9. vers. Est hic tamen adnotandum.* Et tamquam certum supponit *Suarez dict. cap. 14. numero 19. & 20.* Quare non approbo, quod ait *Leonard. eo cap. 2. dub. 7. num. 49.* ubi fentit idem prorsus dicendum de vagis, ac de peregrinis habentibus alicubi domicilium: & ita dicit retenta sententia dicenti peregrinos non teneri legibus loci transitus, vel hospitii ad breve tempus, idem esse de vagis sentiendum. Quod eadem de utrisque ratio sit. At diversam esse rationem satis probatum est. Dicuntur autem *vagi*, qui nullibi sedem certam, & constantem habent, sed hinc inde vagantur. Similiter etiam qui pristinum domicilium deserentes navigant, aut iter faciunt, quærentes ubi sedem collocent. Quod non tantùm est verum, quando nondum destinarunt; ubi sedem collocent, sed etiam quando id destinarunt, at nondum illuc pervenere, ut probavimus *l. 3. de matr. disp. 25. n. 1. 2. & 3.*

24 Procedit autem, æquè utraque quæstio, quando in diversis ejusdem oppidi parochiis sunt diverlæ consuetudines obligantes, ut Romæ, & alibi contingit. Ut si in una sit aliqua dies festiva, aut jejunii, in alia autem non. Quia eadem est ratio de consuetudinib. ad tempus breve, aut per transitum ex sua ad aliam parochiam, ac de peregrinis existentibus brevi, aut per modum transitus in alio territorio. Et ita docent *Suarez to. 1. de relig. l. 2. c. 13. pu. 2. & 6. Leonard. l. 4. de just. c. 2. du. 8. num. 55.* Objectionem contra hoc solvam *nn. 40.*

25 Tandem neutra quæstio procedit, ubi ex non observantia talium legum, aut consuetudinum oriretur scandalum. Tunc enim ex naturali hujus vitandi præcepto teneretur quicumque existens ea servare.

26 His ergo præmissis, quæstio priòr est. An peregrini teneantur legibus, & consuetudinibus proprii domicilii, quando ab eo absunt, nec ubi reperiuntur, ea obligant? Quidam ajunt hos teneri. Quos, & eorum rationes retuli *l. 3. de matrimon. disp. 18. numero septimo*, ubi dixi id esse probabile. At *ibi numero decimo octavo* amplexus sum ac probabilius, & nunc amplector eos non obligari. Atque rationem *ibi* allatam amplius declarando, probatur, quia leges, & consuetudines localia respiciunt per se, & directè, territorium, ac illius mores, & illi sunt affixa, & ideò non ligant personas subditas, nisi dum intra illius teritorii, in quo vigent, limites existunt. Et ultra DD. *ibi* relatos, tenent hoc *Suar. eo c. 13. an. 2. & c. 14. n. 25. & n. ult. Leonar. eo cap. 2. dub. 8. n. 54. Azor. to. 1. instit. moral. l. 7. c. 30. in fine, Emmanuel. Sà in Sum. verbo Festum, nu. 9. Sayr. in clavi reg. l. 7. c. 3. nu. 11. & 12. Rebellius de justit. pa. 2. lib. 2. q. 7. sect. 3. nu. 15.*

27 Atque hæc sent. est vera, etiamsi hi sint nocti reversuri ad proprium territorium. Quia cum ea sint iis terminis adstricta, non spectatur ad hanc exemptionem duratio, sed absentia. Sic *Suar. eo c. 14. n. 25. Leonard. eo c. 2. dub. 8. num. 53.* Ex qua ratione, quam *Suarez ibi* tradit, colligitur idem dicendum de quamtumvis brevis absentia, illo enim momento, quo sunt extra terminos, non ligantur.

28 Est etiam vera, etsi leges in horum territorio obligantes sint juris communis, quando enim hi ad locum perveniunt, in quo sunt usu abrogatæ, non ligantur illis. Quod ea juris relaxatio usu in eo oppido inducta introduxerit ibi privilegium quasi locale, ut omnes eo utantur, qualiter ibi reperiantur. Idque probatur ex *D. Aug. relato c. Illæ, d. 12.* monenti indistinctè quemquiam conformari usui illorum, apud quos est. Et tenet *Suarez eo c. 14. in fine.* Idem etiam tenent *Rebellius citatus nu. praced. & Petr. de Ledesma de matrim. q. 45. a. 5. puncto 3. dub. ult. f. 198.* quatenus ajunt Hispanum, ubi jus commune Concilii Tridentini viget, posse apud Gallos, ubi non est receptum, inire matrimonium absque parocho, & testibus. Idem DD. *duplici nu. sequent.* referendi, nam leges, de quibus agunt, sunt juris communis.

29 Hinc deducitur 1. Lusitanos, apud quos commune abstinendi ab animalium intestinis die Sabbati jus viget, posse per Castellam, in qua usu est abolitum, transeuntes vesci iis. Sic tenent DD. quos retuli, & secutus sum *lib. 3. de matrim. disp. 18. n. 19. & Leonard. eo c. 2. dubio 8. n. 55.*

30 2. Deducitur, alienigenas posse Mediolani vesci carnibus in primis 4. diebus quadragesimæ, ubi ex recepto usu eduntur, nec cœpit jejunium quadragesimale, etsi in suis locis jus commune abstinendi ab iis, & jejunandi vigeat. Constat ex ratione adducta *nu. 28.* Et docet *Leonar. eo c. 2. dub. 8. numero 59.* ubi ob eamdem rationem optimè etiam ait, proficiscentem duranti quadragesima in suo oppido in locum, in quo est transacta (quod sæpè accidit ob novam Kalendarii non ubique receptam mutationem) non teneri eam complere in hoc posteriori loco, sed posse carnibus vesci. Quia eadem ratio militat.

31 3 Deducitur, integrum esse recedere à proprio domicilio, in quo dies est festiva, in locum ubi festiva non est ad servilia exercenda. Quòd præceptum non interdicat exitum à loco, in quo obligat, nec extra illum adstringat etiam illius loci incolas. Quod docent Auctores, quos retuli *lib. 3. de matrim. disp. 18. n. 21. & Suar. to. 1. de relig. li. 2. c. 13. n. 6. Leonard. eo dub. 8. nu. 55. Sayr. in clavi regia, l. 7. c. 3. n. 12. Emman. Sà in sum. verbo Festum n. 9.* Atque idem optimè docent *Suar. & Leonard. ibi*, quando festum est in una oppidi parochia, in altera verò non est: possunt enim subditi parochiæ, in qua est festum, laborare extra illis limites. Quod est consentaneum iis, quæ *num. 24.* diximus.

32 Sed quidam ex iis DD. (ut retuli *ea disp. 18. num. 21.*) tenent, hunc egredientem manè diei festivæ obligari ad audiendum sacrum. Eorum rationem ibi retuli. Idem tenent *Sayr. & Emm. Sà nu. praced. relati.* At quamvis hoc sit valde probabile; at esse quoque valde probabile cum quibusdam doctis Neotericis dixi contrariæ rationi respondens, hos non teneri ad sacrum, si duranti adhuc implendi præcepti commoditate sint futuri extra limites oppidi, aut parochiæ, in quibus est festum. Quod idemmet referens dicit esse valde probabile *Leonard. eo dub. 8. n. 56.* Sed *Suarez tom. 1. de relig. lib. 2. cap. 15. n. penult.* ait hoc esse ingeniosè excogitatum, at non admittendum 1. Quia in re morali non est facilè à communi sententia recedendum. 2. Quia sic habet pia populorum consuetudo: nec est illis ansa minuendi cultus danda. 3. quia hoc præceptum tamquam affirmativum, nec exigit, nec concedit ali-

aliquam certam temporis latitudinem, pro qua possit ejus observantia differri: sed obligat quàm primùm servari potest; si postea implendum non sit. Et *numero ult.* id limitat, ut intelligatur, quando potest quis in eo casu hora matutina sacrum audire, ante abitum ad laborem: secùs si non esset sacrum usque ad meridiem. Sed adhuc censeo valde probabilem eam sent. Nec obstat prima ratio in contrarium. Quia ratione optima receditur ab ea sent. quin potiùs non omninò receditur, sed limitatur: & fortè si DD. contrarii illam expendissent, sic limitassent. Nec II. obstat. Quia etsi ea consuetudo sit pia, & valde commendanda, non est cur dicamus ita eam obligare, ut damnandi sint oppositum facientes. Nec ultima obstat, quia in prædicto loco eam posui, & respondi tunc solùm teneri quempiam prævenire audiendo missam manè diei festivæ, quando manenti vi præcepti, & subjectione ad illud, est reliqua temporis parte impediendus: secùs quando intra præcepti tempus est ab illo eximendus.

33 Quartò deducitur, manè proficiscentem ex oppido, ubi non jejunatur, posse carnibus vesci, ut reliquos, etsi meridie ad suum domicilium perventurus sit, in quo est dies jejunii: & si id violarit, non tenetur abstinere ab aliis comestionibus, postquam pervenit ad domicilium: secùs si nondum violarit. Sed in neutro casu potest illa die vesci carnibus in loco domicilii. Hoc probavi *ea disp.* 18. *num.* 23. Et tenet *Leonard. eo dub.* 8. *num.* 57.

34 Tandem deducitur, abeuntem manè domicilio, in quo jejunatur, certumque illa die se perventurum ad locum jejunio non subjectum, posse manè jentaculum sumere, at nequire carnibus vesci, donec sit in loco, ubi eæ eduntur. Hoc probavi *ea disput.* 18. *num.* 22. & tenet *Leonardus eo dub.* 8. *num.* 58.

35 Quidam limitant omnia hæc corollaria, & nostram sententiam, ut intelligantur, quando proficiscens in loca, ubi eæ leges non vigent, ducitur causa justa: secùs quando solùm, ut liberè possit eis contravenire. Sic tenent aliqui, quos retuli *ea disput.* 18. *nu.* 29. dicentes fore irritum matrim. initum ab Hispano in Gallia, absque parocho, & testibus, quando eò ea sola causa adiit, ut sic inire posset. Quòd sic fraus decreti Tridentini, quæ nemini suffragari debet. Idemque sequitur *Rebellus de just. p.* 2. *lib.* 2. *q.* 7. *sect.* 3. *num.* 16. & videtur tenere *Sayro in clavi regia*, *lib.* 7. *c.* 3. *num.* 12. nam dicens integrum esse die festiva adire ad laborandum locum, ubi festiva non est, subdit debere abesse omnem fraudem, & adesse urgentem causam. Sed hanc limitationem improbavi *eo num.* 29. & nunc improbo. Nec apponunt reliqui Doctores hujus sent. Et expressè *Suarez t.* 1. *de relig. l.* 2. *c.* 13. *n. penult.* tenet hanc fraudem nil obesse. Quòd non sit propria fraus, sed quædam obligationis præcepti fuga, quæ cum non adversetur præcepto illam non interdicenti, sed solùm obliganti, dum non receditur ab eo loco, est ex se indifferens, & proinde erit bona, aut mala ex fine adjuncto. Item quia fraudem committere non dicitur utens jure suo. Ut *ibi* ex regula juris, & simili quodam adducto probavi. Ergo cum hic jus egressus ab eo loco habeat, utpote nullo jure sibi interdicti, non dicitur fraudem committere, ut vel sic dicatur illius legis transgressor. Nec valet solutio, quam adhibet *Rebell. ibidem*, nimirum, hunc habere jus abeundi, non tamen violandæ legis, qua tenetur, & quam censetur offendere abiens absque alia justa causa. Non (inquam) valet, quia hic non venit contra legem: utpote qui, ubi obligat, eam non violat, sed extra locum, quando jam non ligat.

36 Quæstio posterior. An quando diversæ sunt leges, aut consuetudines in proprio territorio, & in loco, ad quem peregrini divertunt, sive per modum transitus, sive hospitii ad breve tempus, teneantur servare leges, aut consuetudines, quæ obligant in loco transitus, aut hospitii; dum in eo morantur. Ut si in suo domicilio non erat dies festiva, aut jejunii, sit autem talis in hoc posteriori loco, teneantur dum in hoc sunt, servare festum, aut jejunium? Et quidem duplex est causa, in quo concordant Auctores teneri. Prior est, circa solemnitates, & conditiones contractuum, Quippe sunt ab universis servanda, quæ in loco contractus obligant: dempto contractu dotis, cui peculiare est, ut ineundus sit juxta leges domicilii veri. Sicut utrumque ex textibus, & Auctoribus probavi *l.* 3. *de matrim. disp.* 18. *n.* 10. & 11. Posterior est, quando legis transgressio cederet in peculiare illius oppidi damnum. Ut si lex inde triticum, aut alias merces extrahi vetet, aut peregrinos ultra tale tempus ibi detineri, ob illius oppidi bonum. Quod probavi *ea disp.* 18. *num.* 14. Qualiter autem possit hæc lex obligare, dicemus *num.* 38. *in solut. ad* 6.

37 Difficultas ergo est extra hos duos casus. Duplex est sent. Prior (& valde probabilis) ait eos teneri. Cujus Auctores retuli *lib.* 3. *de matrim. disp.* 18. *n.* 4. & ultra Auctores *ibi* citatos, eam tenent *Leonard. lib.* 4. *de just. cap.* 2. *dub.* 7. *num.* 50. *Emmanuel. Sà in Summa*, *verbo Jejunium*, *num.* 1. *Sayro in clavi regia*, *lib.* 7. *cap.* 3. *num.* 11, & latissimè *Suarez tom.* 1. *de religione*, *lib.* 2. *cap.* 14. *a num.* 9. Fatentur autem omnes hi, & multi *numero* 5. *ibi* allegati, non satis esse solum transitum per id oppidum ad hanc obligationem. Sed in explicanda hac mora necessaria loquuntur diversimodè. *Philiarc. ibi relatus* dicit peregrinum sistentem in loco, in quo est festum, aut jejunium, teneri ad sacrum, & jejunium. *Enriquez ibi relatus* ait ad neutrum teneri, quando transit obiter, nec ad sacrum, quando pridie ibi dormiit, ut sequenti die abeat. *Emmanuel Sà hic relatus* ait teneri manentem ibi ea die. *Sayro hic relatus* ait quando multo spatio ante prandium accedit ad locum, ubi est festum, & ibi tota die quiescere debet, teneri ad sacrum, & jejunium. *Leonardus n. quinquagesimo primo relatus hic*, ait si ea die, qua venit, vel postridie cogitet discedere, non teneri: secùs si integra die ibi manere statuerit. Quòd si ab initio non statuerit ibi manere, & singulis diebus captet redeundi occasionem, non teneri ait, etsi non abeat. Quia non censetur ulla die ibi manere, sed esse quasi in transitu. *Suarez* autem *eo c.* 14. *n.* 8. sic explicat. Dupliciter potest peregrinus in eo loco esse. Priùs, quando pervenit ad locum, ubi aliquot diebus moretur, vel recreetur, vel negotietur, ita ut ille sit, quasi terminus viæ, licèt parum ibi adfuturus sit: & hoc sat est, ut teneatur legibus ejus loci. Posteriùs, quando præsentia est per modum transitus, quasi in viæ hospitio, ad prandendum, vel dormiendum, & statim abeundum. Et tunc dicit *n.* 18. *usque ad* 23. teneri legibus, & usibus ejus loci, servata proportione, quo ad tempus habile: nempe, si est præceptum affirmativum, ut audiendi sacri, non satis est transitus per eum locum. Quia ejus leges obligant ibi existentes: hic autem non existit ibi, sed transit. Nec si dormiat in loco, ubi dies est festiva, quæ sequitur, tenetur ad sacrum, si ea die perventurus sit ad locum, ubi id festum non obligat. Quia tam brevis mora tantam obligationem inducere nequit. Secùs quando toto manè est ibi adfuturus, etsi à prandio recessurus: & similiter tenetur, etsi summo manè recessurus sit, si usque ad meridiem sit acturus iter intra terminos, in quibus id festum obligat. Si autem sit præceptum negativum, ut abstinendi à carnibus, non exercendi servilia, ait teneri illo, dum ibi manet, etsi ad solam horam sit. Quia affirmativum, etsi obliget semper, non tamen pro semper, sed una diei particula impleri potest. At negativum, cum obliget etiam pro semper, habet tractum successivum per totum diem. Quare infert *numero* 24. hanc regulam, ad discernendam necessariam peregrini moram ad hanc obligationem. Si obligatio sit præcepti negativi, hæc urget semper toto tempore, quo durat præsentia in tali loco. Quia æquali proportione obligat pro toto tempore, & pro qualibet ejus parte. Si verò sit affirmativum, est opus præsentia in eo loco, toto tempore, quod per se conceditur ad implendum actum præceptum. Hæc autem sententia probatur ultra rationes, quas attuli *ea disp.* 18. *numero* 4. multipliciter à *Suarez eo cap.* 14. *num.* 9. & *seqq.* Primò, quia omnes fideles ita servant, existimantes se teneri: & quamvis hæc consuetudo ortum habuerit ratione vitandi scandali, at semel inducta obligat, tamquam valde rationabilis. 2. quia adest jurisdictio in Episcopo illius loci, seu alio legislatore particulari illius, adversùs hos peregrinos. Quod sic ostendit. Quippe consuetudo vim legis habere nequit, nisi ex tacito, aut expresso potentis eam legem ferre consensu. Quæro ergo, cum hæc consuetudo vim legis habeat, ex cujus consensu id accidat? Non ex Episcopi domicilii peregrinorum. Quippe ille extra propriam diœcesim leges ferre nequit. Neque ex Pontificis, aut juris communis consensu. Quòd nec hoc jus facile ostendi valeat: & eo solo dato tenerentur hi ex vi juris communis, & non ex vi illius legis, & consuetudinis peculiaris. Quare potiùs videtur dicendum, eam consuetudinem vim obligandi habere, quasi ex communi jure gentium. Quia tamen obligatio ad servandum ea festa, & jejunia specialia, non est immediatè ex jure gentium, sed ex statuto, aut consuetudine speciali illius Episcopatus; necesse est dicere, quasi communi jure gentium, & ex consensu omnium fidelium, & precipuè Prælatorum, & Pontificum, introductum in Ecclesia esse, ut Episcopi possint suis statutis obligare non solos incolas, sed omnes ad tempus aliquod in suis diœcesibus existentes. Ergo supposita ea consuetudine universali, & quasi de jure gentium, obligatio jam est ex vi jurisdictionis Episcopalis. 3. quia Episcopi possunt punire hos peregrinos contravenientes his statutis, & consuetudini, teste *Abbate c. Consilium*, *nu.* 6. *de observ. jejun.* Et punire solent: nec est verisimile tam frequentem usum esse injustum. Ergo gaudent jurisdictione directiva, & coactiva erga eos. 4. quia hæc jurisdictio est necessaria ad bonum proprii gregis regimen; est enim periculum, ne multi incolæ pravo peregrinorum exemplo tracti, eas leges violent: & quamvis hoc ad scandalum jure naturæ vetitum referri videatur, inde sumitur prædictæ jurisdictionis argumentum. Quippe non est æquum uniuscujusque arbitrio relinqui, an sequatur scandalum: sed oportet in Episcopo loci, seu in alio simili legislatore speciali, jurisdictionem esse, ad obligandos existentes in tali loco ad tempus, ut uniformiter cum incolis servent leges, & consuetudines illius. 5. quia qui sentit commodum, debet & onus sentire: *regula. Qui sentit, de regulis juris, in* 6. At hi extra suum oppidum non obligantur illius legibus (ut diximus *num.* 26.) Ergo debent subire obligationem loci, in quo reperiuntur, Atque debet esse æqualis conditio absentiæ, & præsentiæ, ut servetur conveniens distributio: & ne hi reddantur liberi ab omnibus legibus municipalibus, seu Episcopalibus. 6. quia *n.* 12. diximus teneri hos peregrinos iis particularibus legibus, quando eædem in suo territorio obligant. Sed hoc non est ex vi legis suæ patriæ, utpote quæ extra territorium non ligat. (Ut diximus *n.* 26.) Nec ex generali iuris communis præcepto: quia loquimur de specialibus utriusque oppidi legibus. Ergo vel dicendum est, nec

nec tunc eos obligari, vel obligari ex vi legis Episcopi, in cujus districtu sunt: ac proinde esse jurisdictionem in Episcopo loci ad obligandos eos ad illas leges: sive eædem in loco domicilii vigeant, sive non. Quia vigere in loco domicilii, nil ad hanc obligationem confert, dum hi absunt. 7. quia princeps laicus potest leges obligantes exteros indicere. Ut diximus *num. præcedenti* de legibus ob peculiare oppidi bonum latis. Ergo idem poterit Episcopus in ordine ad spirituale bonum. Neque enim minor est potestas spiritualis in ordine ad suum finem, quàm temporalis in ordine ad suum. 8. quia exteri obligantur statutis loci taxantibus pretia mercium, adeo ut transgrediendo peccent contra justitiam. Si ergo est jurisdictio in exteros, ad constituendam rem præceptam in materia justitiæ, cur non erit ad constituendam in aliarum virtutum materia, adeò ut peregrini transgredientes peccent contra eas virtutes? Tandem quia vagi tenentur legibus loci, in quo etiam brevi mora versantur. (Ut diximus *n.* 23.) Ergò, & peregrini. Nec obstat dicere, hos vagos tamquam proprio domicilio destitutos, acquirere illud ubicumque reperiuntur. Quia cum nullibi animum permanendi habeant, non acquirunt revera domicilium, sed dicuntur id acquirere, quo ad effectus ad rectam eorum administrationem necessarios. Sic ergo peregrini dicuntur illud acquirere, quo ad hunc effectum obligationis legum illius loci. Quippe nil prorsus hunc obligationi obstat, peregrinos alibi habere domicilium, cum quod ad ejus leges perinde in absentia se habeant, ac si domicilio carerent.

38 Posterior sententia, quam amplexus sum *lib.* 3. *de matrim. disp.* 18. *nu.* 6. ait peregrinos non adstringi peculiaribus legibus, & consuetudinibus loci transitus, & hospitii ad breve tempus, quando ea non obligant in proprio eorum domicilio. Et ultra Doctores *ibi* relatos eam tenent *Tolodo t.* 6. *sum. cap.* 5. *num. ult. Vega* 1. *tom. sum. cap.* 14. *casu* 11. *Azor. tom.* 1. *instit. moral. lib.* 7. *cap.* 30. *q. ult. Sayro in clavi regia*, *lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 15. & dicit esse valde probabilem *Leonard. lib.* 4. *de justitia cap.* 2. *dub.* 7. *num.* 49. Et modò etiam tamquam probabilior mihi placet. Et ultra rationes *ibi* allatas, probatur 1. quia ad obligandum legibus exigitur jurisdictio: ut ex se constat. At eam non dat brevis mora in oppido, nec facit quemquam subditum, & ita nequit Episcopus illi aliqua sacramenta ministrare, præter confessionem & communionem, & hæc ex sola tacita proprii Episcopi licentia: nec potest eum illo dispensare. Quæ universi fatentur. Nec ergo jurisdictione obligandi hos peregrinos suis legibus potietur. Quippe non minor jurisdictio ad ligandum, quam ad absolvendum petitur: sed ejusdem est utrumque. 2. quia eadem requiritur ad obligandum præcepto negativo, & affirmativo: ut ex se constat. Sed contrarii fatentur sat quantumvis modicam moram in oppido, ut hi ligentur præcepto negativo: id autem negant de affirmativo. Ergo aut non consequenter loquuntur, aut dicendum est, in neutro casu adesse, vel deesse jurisdictionem. Nec valet dicere id discrimen ex modo obligandi utriusque oriri: affirmativo obliganti semper, non tamen pro semper, negativo autem semper, & pro semper. Quia hoc discrimen non dat præcipiendi jurisdictionem, sed eam supponit tamquam prærequisitam ad obligandum eo diverso modo. 3. quia nil confert id oppidum esse terminum viæ, aut locum transitus, ut in priori casu fatentur contrarii, sat quamcumque moram, non verò in posteriori. Quia in priori casu potest accidere, ut nulla sit moraliter mora, sed solus transitus. Ut si quis illuc adeat gratia emendi aliquid, aut deferendi epistolam, aut nuntium, quæ brevi, & absque descensu ex bestia expediri valent. Tandem probatur diluendo rationes contrarias, & ferè omnes retorquendo in contrariam sententiam. Ad primum negatur ea consuetudo obligans. Quia si aliqui se obligatos existimant, aut id ex ignorantia provenit, sicut se teneri ad audiendam missam credunt ex solo transitu, aut brevi mora: aut si sint viri docti, id existimabunt, quia sunt contrariæ sententiæ; at oppositum credent, qui sunt nostræ. Ad 2. dic procedere supposita hac consuetudine obliganti, quam negamus. Ad 3. dic excusari Episcopos sequendo contrariam sententiam valdè probabilem: vel eos puniunt ratione scandali, quod præbent non ita cautè se habendo. Ut bene ait *Abbas ibi relatus*. Cum enim ratione scandali peccent in jus naturale, fortiuntur forum ratione delicti ibi admissi. Rationes autem 4. 5. 6. 7. & 8. militant eodem prorsus modo contra oppositam sententiam. Quippe ad præcepti affirmativi obligationem, ea petit perseveratiam in loco, toto tempore, quo ejus obligatio durat, ut toto manè ad præceptum audiendi sacri. At idem scandalum incidit dabitur, si videant peregrinum existentem in oppido quatuor horis matutinis, & nocte ibi dormisse, & non audito sacro proficisci. Et similiter, vel unico momento, quo extet ibi, renetur illis legibus, si in suo territorio eædem vigeant; aut si sint in peculiare illius oppidi bonum: aut pretium mercium taxent. Et momentaneus exitus a domicilio liberat obligatione legum peculiarium illius, dum extra illud est. Quare utraque sententia tenetur his respondere. Et ideò ad 4. dic satis consuli ei incommodo per naturale vitandi scandali præceptum, & jurisdictionem episcopi ad puniendum dantes illud. Nec cujusvis arbitrio relinquitur, an id dent, sed indocti consulent doctos, ut nentur. Ad 5. dic eam regulam procedere, quando onus est necessario annexum commodo. Ut percipiens beneficii fructus tenetur ejus oneribus: secùs ubi annexa non sunt. Ut novitius gaudet multis regularium privilegiis, nec eorum præceptis ligatur. Nec opus est, æqualem absentiæ conditionem esse, qua peregrini eximuntur à specialibus sui domicilii legibus, & præsentiæ in alieno, ut ejus legibus teneantur. Quia cum eæ leges sint locales, ita sunt loco adstrictæ, ut quævis modica absentia, & modicus exitus excuset ab illis. Ad obligandum verò specialibus alterius domicilii legibus, oportet talem in loco eo assistentiam esse, quali opus est ad acquirendam, ratione habitationis jurisdictionem in peregrinos. Ad. 6. & septimum dic ejusdem legibus obligari exteros ex usu quasi communi jure gentium inducto, & ex consensu omnium fidelium, principum, & pastorum. Ut intendit contraria sent. in 2. eius ratione relata, *num. praced.* Quem usum in casu ab illa intento negamus, cum viris doctissimis sustinentibus contrariam partem. At in hoc casu approbamus, eò quòd omnes Doctores in utroque casu illam obligationem admittant, quæ aliunde deduci nequit. Ad 8. dic in contractibus fallere hanc sententiam, eò quòd jure cautum est, ut celebrentur, juxta leges loci, in quo incuntur. Præterea, quia lege naturali tenetur quisque vendere justo pretio: atque eodem jure spectatur justitia hujus pretii attentis tempore, & loco venditionis. Pretium autem hujus loci justum est naturale, idest, quo communiter ibi venditur, quando deest legale: at hoc existenti, id est pretium justum, idest, quod lege taxatur. Ad ultimum constat ex dictis *num.* 23. ubi rationem discriminis tradidimus.

39 Non tamen idem dicendum est, quando leges loci transitus obligant ex jure communi, quamvis enim in proprio peregrinorum domicilio non obligent, eò quod sunt consuetudine abrogatæ, tenentur peregrini cum quomodocumque sunt extra locum, ubi non obligant, eas servare. Sicut Mediolani usu est abrogatum præceptum jejunandi, & abstinendi à carnibus, in quatuor primis quadragesimæ diebus, quod est de jure communi: & similiter in Castella est usu inductum contra jus commune, ut liceat die Sabbati vesci intestinis animalium: non ergo licebit Castellano, in cujus patria non obligat, vesci intestinis animalium in die Sabbati, dum transit per Lusitanos, apud quos id jus commune vim obligandi retinet. Nec similiter Mediolanensi transeunti per alia loca, in quibus servatur jus commune, licebit usus carnium, aut intestinorum omissio, in quatuor illis quadragesimæ diebus. Ratio autem differentiæ inter hoc jus commune, & speciales loci transitus leges est: quod ad obligandum exigatur jurisdictio, hæc autem non acquiritur speciali legislatori in transeuntes, aut brevi morantes in suo territorio, & ideò nequit hos suis specialibus legibus ligare. At indicens jus commune habet jurisdictionem in universos, & ideò omnes, ubicumque sint obligat, nisi aliqua ratione legitimè excusentur: at excusatio illa, quod in suo domicilio sint usu abrogatæ, solùm liberat in eo loco, in quo is usus viget: extra illum autem non adest hæc causa excusans. Ergo extra illum obligabunt. 2. quia consuetudo jus commune abrogans est odiosa, instar legis correctoriæ: cum ergo in solo eo loco sit, & ibi excuset, non est extendenda, ut sit quasi privilegium personale, quod personam quòcumque euntem sequitur: sed potiùs est restringenda, ut sit quasi privilegium locale, quod extra locum non prodest. Nec obstat si dicas, exeuntes ad breve tempus haberi fictione juris tamquam præsentes. Tum quia fictio juris non extenditur ultra casus in jure expressos: ut communiter tradunt *D. D. c. in præsentia, de probat. & multi, quos refert, & sequitur Gutier. q. canon. l.* 1. *c.* 32. *n.* 56. Tum etiam quia hæc præsentiæ fictio non sat est, ut hi censeantur præsentes in suo domicilio, ut localibus illius legibus teneantur; cur ergo sat erit, ut privilegiis localibus gaudeant? Nec proderit dicere hoc esse favorem, illud verò odium. Quia cum per hoc fiat reductio ad jus commune, est potiùs favorabile, extendendumque. Sicut lex correctoria, quæ valde odiosa esse solet, est favorabilis, & extendenda, quando per eam ad jus commune reditur. Ut ex multis probavi *l.* 1. *de matrim. disp.* 12. *n.* 2. Et ideò quamvis *l.* 3. *de matrim. d.* 18. *n.* 7. tenuerim cum *Palacios* contrariam sent., nunc autem prorsus placet hæc. Et eam tenent *Enriquez l.* 9. *de missa. c.* 25. *n.* 2. *in fine in commento lit. S. Manuel. in bulla Cruciata*, §. 1. *n.* 8. *ad fin.* Et videntur clarè tenere *Metina* 1. 2. *q.* 96. *a.* 5. *ad sin. in dubio penult. Sayro in clavi regia*, *l.* 3. *c.* 4. *n.* 15. & copiosè probans tenet *Suarez. tom.* 1. *de religione*, *l.* 2. *c.* 14. *num.* 27. & 28.

40 Sed dubitabis: quid dicendum, ubi quis ex æquo inhabitat in duplici parochia, & sic est utriusque parochianus, ac in illis sunt diversæ consuetudines? Dic eum teneri consuetudinibus, ac legibus parochiæ, in qua præsens fuerit, pro eo præsentiæ tempore, tamquam re vera illius incolam. Sic *Leonard. lib.* 4. *de just. cap.* 2. *dub.* 7. *num.* 26. Quod intelligo de tempore, quo ibi habitat: secùs quando tempore, quo in alia habitat, veniret in alteram tamquam hospes ad breve tempus. Quia cum tunc non censeatur habitator, reputabitur ac peregrinus per alium locum transiens. Quod consonat dictis, *num.* 24. ubi diximus eodem modo judicandum, quando in diversis parochiis sunt diversæ consuetudines, ac quando in diversis territoriis. Sed urget contra hoc, quia quando sunt in diversis territoriis, probavimus *num.* 38. non obligari defectu jurisdictionis in peregrinos tamquam exteros. At quando sunt intra idem territorium parochiæ, habet episcopus in utraque jurisdictionem. Ergo obligabuntur consuetudinibus alterius parochiæ confluentes ad illam per modum transitus. Sicut ideò diximus *numero præcedenti* obligari, quando est jus commune ibi vigens; etsi in suo territorio non obli-

obliget. Sed respondeo non solum jurisdictionis defectum excusare peregrinos transeuntes per alienum territorium, sed etiam quia eos leges sunt locales, & ideò non adstringunt, nisi habitantes in eo loco: non dicitur autem habitator, qui ibi ad modicum tempus hospitatur. Nec est simile de jure communi, quod ubique obligat, nisi alicubi sit legitima consuetudine abrogatum.

41 Sed tandem rogabis, quæ mora in oppido hospitii reddat peregrinum habitatorem, ut legibus, ac consuetudinibus illius teneatur? Duplicem sent. retuli *libro* 3. *de matrim. disput.* 18. priorem, *numero* 8. dicentem exigi veram domicilii acquisitionem, quæ constituitur habitando ibi cum animo manendi perpetuò. Sed hanc reprobavi *ibi numero* 9. amplectens posteriorem *ibi* relatam, quæ dicit sufficere, & exigi animum habitandi ibi majori anni parte. Quam latè *ibi* probavi, & modò etiam placet. Atque eam esse valde probabilem ait *Leonard. lib.* 4. *de justi. cap.* 2. *dub.* 7. *numero* 49. Atque perinde prorsus est, habere animum habitandi toto hoc tempore, ac habere animum existendi ibi tempore necessario ad exequendam actionem, quæ semper, aut regulariter exigit ad minus majorem anni partem. Ut optimè tradit *Suar. to.* 1. *de relig. l.* 2. *c.* 14. *n.* 6.

42 Id autem observandum est, accedentem animo habitandi majori parte anni, teneri à prima accessus die servare leges, & consuetudines illius oppidi. Quia ex tunc habet conditiones requisitas. Quod aliquibus relatis probavi *l.* 3. *de matrim. disp.* 18. *num.* 9. & tenent *Suarez. tom.* 1. *de relig. lib.* 2. *c.* 14. *n.* 5. *Leonar. lib.* 4. *de justit. in c.* 2. *dub.* 7. *n.* 47. Nec desinit obligari, licèt postea mutato animo decernat se brevi recessurum. Juxta ea, quæ diximus in hoc *cap. nu.* 20. Quia id quasi domicilium ex priori habitandi majori anni parte animo comparatum, nequit sola illius animi mutatione deperdi, sed simul cum illa desideratur recessus ab eo loco: sicut ad illud constituendum exiguntur animus, & habitatio.

CAPUT XIII.

Qualis intentio, & actus humanus ad præcepta implenda desiderentur; & qualiter eis satisfiat, exercendo actum præceptum, cum intentione ei non satisfaciendi?

SUMMARIUM.

Quotuplex sit intentio? num. 1.
An præcepta, votum, juramentum, pœnitentia, sint implenda necessario per actum humanum, quo quis præcepta, & alia efficere velit? num. 2.
An satisfaciat præcepto recitando, legens preces causa sola legendi, aut discendi: & præcepto sacri, qui sola alterius rei causa illi interest, & quid de voto, juramento, & pœnitentia? nu. 3.
Quid de implente, dum sui compos non est, sed ebrius, aut dormiens? num. 4.
An coactus hæc implens satisfaciat? num. 5.
An omninò invitus implens præceptum, ac solvens decimas, incurrat excommunicationem, qua fertur in non implentem, aut non solventem decimas? num. 6.
An metu implens præcepta, vota, vel juramenta, vel pœnitentiam, illis satisfaciat? num. 7.
An famuli, qui quasi coacti gratia heri comitandi, & pueri ratione pædagogi, interfunt sacro, satisfaciant, & quando in ea voluntate peccent? n. 8.
An desideretur intentio satisfaciendi præcepto, ita ut qui præceptii ignarus illud implet, ei satisfaciat? nu. 9.
Quid de voto, juramento, pœnitentia injuncta? num. 10.
An debens alicui centum satisfaciat, si debiti immemor tantumdem ei donet: vel debens incerta debiti inscius tantumdem in eleemosynas eroget? nu. 11.
An quando expressè adest intentio non satisfaciendi præcepto per illum actum, verè satisfiat? Refertur opinio, nu. 12.
Opinio Auctoris, num. 13.
An teneatur hic mutare intentionem, & habere intentionem satisfaciendi, intra tempus implendo præcepto destinatum? n. 14.
Quale peccatum admittat implens præceptum animo illi non satisfaciendi? num. 15.
An qui incepit horam canonicam, & intermisit animo illam incipiendi, possit postea continuare? num. 16.
An satisfiat pœnitentiæ, si expressa intentio illi non satisfaciendi adsit? num. 17.
Quid de voto, & juramento? num. 18.

1 DUplex potest esse intentio, Altera implendi, quæ præceptum injungit. Altera verò satisfaciendi præcepto per id opus. Rursus de hac posteriori intentione dubitari potest, an in ipsa præcepti impletione exigatur: vel dato eam non exigi, saltem necesse sit contrariam intentionem non haberi, idest intentionem non satisfaciendi præcepto illo opere.

2 Prima conclusio. Nullum præceptum sive divinum, sive naturale, sive humanum, impleri potest, nisi per actum humanum, & liberum, quo quis velit efficere id, quod præceptum injungit. v. g. est opus velle jejunare, audire sacrum, recitare, ad ea præcepta implenda. Quia cum lex hominibus imponatur, non brutorum more, sed humano modo implenda est. Deinde, quia sicut lex violari nequit, nisi per actum humanum, ita nec impleri. Et ita docent *Palud.* 4. *d.* 15. *q.* 5. *ar.* 2. *num.* 24. *& ibi Durand, qu.* 12. *num.* 6. *Sotus libro* 2. *de just. q.* 3. *ar.* 9. *col.* 3. *Metina* 1. 2. *q.* 100. *art.* 9. *paulo post. princ. Azor. tom.* 1. *lib.* 7. *inst. moral. cap.* 2. *q.* 6. *& omnes, Vasquez* 1. 2. *q.* 100. *ar.* 9. *in exposit litera, num.* 2. 3. *&* 8. Atque idem exigi dicendum est, ad implenda vota, juramenta, pœnitentiam sacramentalem. Quia de his omnibus eadem est ratio. Et de pœnitentia ita docet *Metina ibi, & Vasquez num.* 3. *&* 8.

3 Hinc 1. deducitur, recitantem attentissimè horas sola legendi, vel addiscendi voluntate, non satisfacere præcepto, sed teneri iterum recitare. Quippe cum orandi voluntas defuerit, id non est orare. Sic *Navar. c. Quando de consecrat. d.* 1. *cap.* 13. *num.* 15. *Azor. tomo* 1. *lib.* 10. *instit. moral. cap.* 8. *q.* 7. *in fine, & cap.* 12. *q.* 9. *in fine. Leonard. lib.* 2. *de just. cap.* 37. *dub.* 11. *nu.* 67. *Aragon.* 2. 2. *q.* 83. *art.* 23. *f.* 864. *ver. Sed dubitabit aliquis, in fine.* Idem est dicendum, siquis in templo esset gratia contemplandi divina, & casu tunc fieret sacrum, cui in ea meditatione persistens assisteret, non habens animum illius sacri audiendi, tunc enim eo sacro non satisfaciet præcepto, voto, vel juramento, vel pœnitentiæ injunctæ audiendi sacri: sed iterum audire teneretur. Quia etsi ea attentio ad rei divinæ contemplationem sufficiens esset ut attentioni in audiendo sacro requisitæ satisfieret; at cum defuerit illius audiendi voluntas, id non est audire.

4 Secundò deducitur, non satisfieri præcepto, siquis non sui compos, sed ebrius, aut dormiens recitaret, aut sacro interesset; sed teneretur factus sui compos iterum recitare, vel audire sacrum. Quod non audierit, vel recitarit actu humano. Ita *DD. num.* 2. *allegati*. Eadem ratione idem dicendum est de voto, juramento, & pœnitentia injuncta. Et loquens de hac pœnitentia docet *Vasquez eodem num.* 8.

5 Tertiò deducitur, cum qui omninò invitus interesset sacro, non implere præceptum, ac proinde teneri iterum audire. Quia ubi est ea coactio, deficit voluntas audiendi sacri. Sic, *Sotus, & Metina n.* 2. *citati. Suarez* 3. *tom. in* 3. *p. q.* 83. *ar.* 6. *disp.* 88. *sect.* 3. *vers. Circa posteriorem partem. Petr. de Ledesma in sum. sacram. ubi de Eucharistia, c.* 27. *post.* 10. *conc usque nem, fol.* 344. *Azor. tom.* 1. *lib.* 7. *institut. moral. cap.* 2. *quæst.* 6. *l.* 10. *cap.* 12. *q.* 9. ubi idem dicit de violenter jejunante, vel preces horarias solvente. Sed de jejunio id admittendum est: ut statim dicemus. At in precibus horariis minimè id admitto. Quia nulla humana vi potest omninò compelli lingua ad recitandum, sed solo metu, qui voluntarium non aufert. Atque ita dicendum idem erit, quod *num.* 7. de implente præcepta metu dicemus. Similiter non impleret jejunium, aut sui flagellationem pœnitentia sacramentali debita, qui omninò invitus abstracto sibi cibo jejunaret, aut vapularet. Quòd desit voluntas, & actio humana, ac proinde id non sit jejunare, aut se flagellare, sed pati. Ita *Sotus, & Metina nu.* 2. *allegati*. Atque idem dicendum est, si voto, aut juramento, aut alio præcepto hæc essent debita. Quia eadem est ratio. Eadem ratione, qui omninò invitus debitum solvere coageretur, quamvis non teneretur iterum solvere, sed exteriùs justitiæ præceptum impleat. Et ita intelligitur *Sotus num.* 2. *allegatus*, dicens hunc implere præceptum: at interiùs peccat mortaliter contra justitiæ præceptum. Ut benè ait *Metina num.* 2. *relatus*. Et ratio est, quia quomodocumque pecunia in manus creditoris deveniat, satisfit debito, ita ut solvendi obligatio cesset. At minimè justitiæ præceptum impletur. Quia deest omninò voluntas solvendi.

6 Quod si quæras, an incurrat excommunicationem latam in non implentes præceptum, qui omninò invitus implevit? *Sotus num.* 2. *relatus* fatetur implentem tempore somni, aut ebrietatis, & postea cum possit, non implentem incurrere eam excommunicationem: secùs de invito. Quòd hic usum rationis habeat, quo illi destituti sunt. Sed vim hujus rationis minimè capio, & ideò benè ait *Metina num.* 2. *relatus* hunc incurrere. Quia verè non implet præceptum. Item quia si in excommunicationis sententia diceretur, liberè non audientem sacrum incursurum, incurreret non audiens liberè. At hæc conditio tamquam legi intrinseca semper in ea intelligitur. At si pro solvendis decimis, aut alio debito imponeretur excommunicatio, absque dubio invitus solvens eam evaderet. Quia in ea excommunicatione sola externa debiti solutio intenditur, ne Ecclesia, aut creditores debito defraudentur.

7 Quartò deducitur, metu quantumvis gravi implentem præcepta, eis satisfacere. Quamvis enim peccet voluntatem non implendi habens, si in sua omnimoda libertate esset; at cum metus non tollat, sed solùm minuat libertatatem, illa impletio est actus humanus, & liber, ac proinde illa satisfit præcepto, ita ut obligatio iterum illius implendi cesset. Sic *Sotus n.* 2. *allegatus. Azor. to.* 1. *l.* 10. *instit. moral. c.* 12. *q.* 9. Atque idem est dicendum de voto, juramento, pœnitentia sacramentali. Cum hæc quamdam vim legis à semetipso, vel a confessore impositam habeant.

8 Quare non est approbandum, quod tradit *D. Anton.* 2. *p.* 1. 9. *c.* 10. §. 2. asserens famulos, qui quasi coacti gratia comitandi heri interfunt sacro, aliàs non audituri, minimè satisfacere præcepto. Nec etiam approbo intellectum illius, quem tradunt *Suarez, & Petr. de Ledesm. numero* 5. *allegati*, nimirum, hos satisfacere, si dum actu audiunt, eam actu intentionem habeant: *Non audiremus, si herum non comitaremur*; secus si tunc audire velint, quamvis in intellectu divino ea conditionalis vera sit: *Hi non audirent, nisi herum comitarentur*. Et idem tradit *Suarez* de pueris, qui quasi coacti à pædagogis interfunt sacro. Sed dicendum est, hos omnes in omnibus his casibus, si attentione requisita audiant, satisfacere præcepto, ita ut ampliùs audire non teneatur, quamvis dum audiunt, actualem non audiendi voluntatem habeant, nisi ratione heri, aut pædagogi. Quia cum ibi vincti non detineantur, non est ea coactio præcisa, quæ sola impletionem præcepti impedit (ut *nu. praced.* diximus, & illa actualis voluntas conditionalis solùm efficit, un peccent lethaliter. Quia tenebantur absolutam implendi præcepti voluntatem habere: at re vera implent: sicut de metu implente diximus *nu. praced.* Nec tamen ullo modo peccarent, si non elicerent illum conditionalem voluntatis actum, *Non audiremus sacrum, nisi ratione heri aut pædagogi*, quamvis in intellectu divino ea conditionalis esset vera. Quia ad peccatum exigitur actus legi contrarius. Et fortè hoc est, quod voluerunt dicere Auctores prædicti.

9 II. Concl. Quamvis ad præcepti impletionem exigatur intentio, & voluntas operis præcepto injuncti exequendi, v. g. audiendi sacri: at non exigitur intentio satisfaciendi præcepto per id opus. Quare qui præcepti immemor, aut ignorans esse diem festum, sacro interesset, verè id præceptum impleret. Itaque per leges solùm præcipitur libera operis externi executio, & non ut ex tali intentione satisfaciendi fiat. Sic tradunt *Suarez, & Azor. numero* 5. *allegati, Vasqu.* 1. 2. *q.* 100. *ar.* 9. *in expos. lit. num.* 5. *Enrique. lib.* 9. *de missa, c.* 25. *num.* 6. *Valentia* 2. 2. *disp.* 6. *q.* 2. *punct. ult. in fin. Manuel.* 1. *to. Sum. in* 2. *edit. cap.* 123. *num.* 2. Et addit benè *Suarez*, nec esse necessarium, ut postea cum diem esse festum novit, satisfacere per missam auditam velit. Hujus rationem reddunt *Suarez, Enriq. & Manuel*, quod cum hic satisfaciendi intentionem non excluserit, virtute, ac interpretativè illam habere censetur. Sed hæc ratio displicet. Quia ubi nulla generalis intentio satisfaciendi præceptis, quocumque opere facto præcessit, nequit dici voluntas virtualis satisfaciendi præcepto. Sed ratio legitima est, quam tradunt *Azor. Valentia, & Vasquez*, quia præcepta id solùm injugunt, ut spontè, & voluntariè actu humano opus per ea injunctum exequamur: non autem, ut quis peculiari alio voluntatis actu, & (ut dicitur) in actu signato velit etiam præcepto satisfacere. Cum nullibi ea obligatio inveniatur. Quod non obscurè colligitur ex *D. Th.* 2. 2. *q.* 104. *ar.* 3. *ad* 2. dicenti posse quempiam actum virtutis implere non attendendo ad rationem præcepti. Et clariùs ex *Soto l.* 10. *de just. q.* 5. *ar.* 5. *ad fin. corp. vers. Supra hæc autem*, ubi ait præceptum audiendæ missæ obligare solùm ad ita audiendum, ut sit actus humanus. Præterea quia Legislatores intentionem non præcipiunt, sed actus substantiam. Tandem, quia ea satisfaciendi præcepto intentio non requiritur ad implenda præcepta negativa, ut non furandi, non occidendi: nec affirmativa naturalia, ut colendi Dei, honorandorum parentum. Ergo nec ad positiva. Quia eadem est de omnibus his ratio. Quòd si objicias præcepta obligare ad obedientiam, quę non adesse videtur, ubi non adest intentio satisfaciendi præcepto. Respondeo non obligare ad obedientiam formalem, sed materialem, nempe, ut fiat, quod præcipitur, quamvis non fiat propterea, quòd præcipitur. Quare non approbo id, quod ait *Lud. Lop. lib.* 1. *de contract. c.* 53. *fol.* 198. & dicit esse æquè probabile, ac oppositum *Pet. de Led. sum. Sacram. ubi de Eucharist. c.* 27. *post.* 10. *concl. fol.* 349. nempè hunc qui ignorantia præcepti id implevit, non satisfacere, nisi antea intentionem aliquam generalem habuisset volendi, quocumque opere ignoranter facto satisfacere præceptis. Quibus favet *Sylvestr. verb. Hora, q.* 11. *dict.* 5. *nu.* 14. dicens requiri intentionem satisfaciendi actu, virtute vel habitu.

10 Hinc 1. deducitur idem dicendum esse de voto, juramento, & pœnitentia sacramentali: illis enim satisfit exequendo opera promissa, vel in pœnitentiam injuncta, dummodo pro alia re non applicentur, etsi non adsit intentio implendi votum, vel juramentum, vel pœnitentiam, sed penitus horum obligatio memoria exciderit. Quia hæc, utpore leges speciales instar legis generalis obligant. Nec obstat votum ad fidelitatem obligare, cujus actus non exercetur, nisi animus satisfaciendi adsit, Quia dicendum est obligare ad fidelitatem materialem, non verò formalem. Sicut de obligatione præceptorum ad obedientiam diximus *n. precedenti*.

11 Secundò deducunt aliqui, debentem cuidam centum satisfacere huic debito, si debiti prorsus immemor tantumdem ei donet, nisi in remunerationem tantidem muneris accepti donatio fieret: & similiter obnoxium restitutioni incertorum pauperibus, posse omnes eleemosynas, quas postea ignarus, aut illius obligationis immemor ex sua devotione largitus est, computare in ejus restitutionis partem. Quia si hi conscii, aut prædictæ obligationis memores essent, non animo liberali, sed satisfaciendi dedissent. Sed contrarium credo cum *Ludovico Lop. libro* 2. *de contract. cap. ult. col. antepen. vers. Superest nunc*, ubi benè ait hujusmodi dispositiones conditionales minimè spectandas esse, sed id quod voluntas tunc intendit. Quia in obligatione justitiæ id peculiare est, ut illi minimè satisfiat, quando alio titulo, ut donationis, vel eleemosynæ, quàm solvendi debiti redditur (ut *numero* 13. dicemus.) Nec conditionalis illa tollit, quin hic & nunc sit vera donatio, & eleemosyna, & non debiti solutio.

12 Potissima autem difficultas est, quando expressim adest voluntas, & intentio non satisfaciendi præcepto per illud opus, an adhuc satisfiat. Ut si quis ex devotione in die festo sacrum audiat, & expressè intendens non satisfacere obligationi per id sacrum verè impleat præceptum? Communis sententia negat hunc satisfacere, & ita ait teneri aliud sacrum audire. Quia actus non operantur ultra agentium intentionem. *l. Non omnis. ff. si certum petatur.* 2. quia debens centum non satisfaciet totidem donans. 3. quia ille actus fuit liberalis, ita ut ad libitum absque culpa omitti possit. Cum ergo jam præcesserit, nequit postea fieri necessariò, & sub præcepto. Tandem quia leges obligant subditos ad hoc, ut eas observare velint. Non ergo satisfiet illis, nisi subditi observare intendant. Ita sentiunt *Metina C. de oratione. q.* De horis canonicis iterandis, *dub. ult. Navar. c. Quando, de consecrat. d.* 1. *c.* 13. *n.* 15. 27. 28. *& c.* 16. *n.* 73. 74. *Ledes.* 2. *par.* 4. *q.* 16. *ar.* 6. *in* 2. *p. dub.* 4. *Palacios* 4. *d.* 15. *disp.* 10. *f.* 160. *Angles Floribus* 1. *p. ubi de oratione, q.* 5. *diffic.* 4. *Paez. c. Missas, nu.* 101. *de consecr. d.* 1. *Azor. to.* 1. *instit. moral. l.* 7. *c.* 2. *q.* 6. *& l.* 10. *c.* 8. *q.* 7. *& c.* 12. *q.* 8. *Man.* 1. *tom. sum. in* 2. *edit. c.* 144. *nu.* 2. *Pet. de Ledes. sum. sacram. ubi de Eucharist. c.* 27. *post* 10. *concl. f.* 344. *& seq. &* 2. *to. sum. tract.* 9. *ca.* 4. *f.* 1084. & hanc sent. dicit tutiorem *Enriquez lib.* 9. *de missa c.* 25. *num.* 6. *in fine*.

13 Sed quamvis hoc sit valde probabile, probabilius censeo hunc verè implere præceptum. Ducor, quòd nullus preceptum transgrediatur, eò quòd nolit id, ad quod præceptum non obligat. Sed (ut *n.* 9. probavi) præcepta non obligant ad habendam intentionem illis satisfaciendi. Non ergo violantur habita contraria intentione, scilicet, non satisfaciendi. Et confirmatur, quia (ut *ibidem* diximus) per leges solùm præcipitur libera, & humana externi operis executio, & non ut fiat ex tali intentione. Cum ergo hic verè actu humano, & libero missam audiat, aut recitet, quantumvis nolit satisfacere, verè præcepto satisfaciet. Nec enim est in operantis potestate præceptis non satisfacere, posito, cum velle opera illis injuncta exequi. 2. quia verè impleret audiendi sacri præceptum, illud ex contemptu audiens. Ergo à fortiori cum intentione non satisfaciendi. Tandem, quia præcepto negativo per liberam operis omissionem satisfit, etsi intentio non satisfaciendi adsit. Nec obstant contraria *n. praced.* adducta. Non 1. quia ea regula vera est, quando ex agentis intentione pendet implere per illum actum. Cujus contrarium hic contingere diximus. Non 2. quia justitia obligat ad æqualitatem servandam inter rem debitam, & solutam, quæ non servatur, quando debitum non solvitur, ut debitum, sed liberali donandi animo. Vel meliùs dic per donationem acceptatam ut donationem, non satisfieri debito justitiæ, secùs si tamquam debiti solutio acceptaretur, intendendo, ut alter obligatione justitiæ liberaretur. Vel tertiò dic obligationem justitiæ ex contrahentium voluntate pendere, & ideò protendi posse juxta eorum intentionem. At legis obligatio non pendet, nisi ex legislatoris intentione, & ideò subditus illius obligationem prorogare nequit. Nec obstat tertium, quia etsi ille actus ex agentis intentione fuerit liberalis; at ex natura sua cadebat sub præcepto, & cum præceptum non curet, an opus ex devotione, vel alia intentione fiat, non est necesse, ut semel ex devotione effectus, fiat iterum ex præcepti necessitate. Et ita is actus non est verè liberalis, nam quamvis animo liberali, & cum donandi intentione offeratur, non tamen acceptatur ut donatio, sed ut debiti solutio ex legis obedientia contracti. Nec obstat ultimum. Quia leges obligant ad hoc, ut subditus velit eas observare, quasi in actu exercito, id est, ut velit opus lege injunctum exercere: non tamen obligant illum, ut habeat intentionem satisfaciendi per illud opus præcepto. Et ideò hanc sent. sustinent *Valentia* 2. 2. *disp.* 6. *q.* 2. *punct. ult. in fine, Suarez* 3. *to. in* 3. *p. q.* 83. *ar.* 6. *disp.* 88. *sect.* 3. *vers. Circa posteriorem partem*. Et hanc senten. dicit æquè probabilem, ac priorem, *Aragon.* 2. 2. *quæst.* 83. *ar.* 13. *fol.* 864. *vers. Sed dubitabit aliquis*. Et eam tenent multi alii Neoterici docti. Et *Vasquez* 1. 2. *quæst.* 100. *ar.* 9. *in expositione lit. a n.* 5. *Leon. l. secun., de justit. c.* 37. *d.* 10. *num.* 59. *& cap.* 46. *d.* 6. *num.* 42.

14 Temperant autem *Suarez, Leonar. & Aragon. nu. praced. allegati*, & quidam alii Neoterici, ut intelligatur hæc sententia, dummodo exequens id opus, cum intentione non satisfaciendi præcepto, non persistat in ea intentione, sed voluntatem mutet tempore opportuno, id est, intra obligationis præcepti tempus, & velit per opus præcedens satisfacere præcepto. Quia cum implere præceptum actus obedientiæ sit: id minimè impletur, dum voluntas non implendi, & sic non obediendi durat: at ea mutata impletur. Quia illi actui sola ea voluntas deerat. Verùm jure optimo alii Neoterici hanc voluntatis mutationem non desiderari affirmant, ut præceptum impleatur, nec ejus meminit *Valentia num. praced. allegatus*. Unde satis est, si ille credat se non satisfecisse, ut eam conscientiam erroneam deponat, sciens se satisfecisse, etsi nullam intentionem satisfaciendi per opus præteritum habeat. Quod etiam clariùs constabit ex dicendis *n. seq.* Et ratio est, quia aut est satisfactum præcepto per illum actum, aut non. Si 1. non requiritur ea voluntatis mutatio: quia cum jam præcepto satisfactum sit, nullum præceptum urgens ad eum obedientiæ actum eliciendum superest. Si 2. nil jam conferre potest ea voluntatis mutatio, cum efficere nequeat, ut opus præteritum ex obedientia